





BIBL. DO MUSEU  
Nº 792  
Est. I  
Tab.  
4  
Coimbra

INST. ANTR.  
Nº 1224  
Est. B  
Div. I  
Tab. 3  
COIMBRA





GERALDUS  
REGENTULUS

adversus Iudaeos. In quatuor Toscis. discimus  
de Iudeis et de Iudaismo. quod non solum  
deinde deponitur.

Et hoc est secundum paginam primam.

¶

¶

¶

¶

¶

¶


¶

¶

¶

¶

¶



# ARISTOTELIS OPERA OMNIA, GRÆCE ET LATINE.


DOCTISSIMORVM VIRORVM INTERPRETATIONE  
& notis emendatissima, & nunc tandem in quatuor Tomos distributa.

GWILLELMVS DV-VALLIVS REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIVS  
Medicus tertio recognouit, Synopsin analyticam adiecit, nouis disquisitionibus,  
notis, & Appendicibus illustravit.

CVM TRIBVS INDICIBVS.

Quæ huic Editioni accesserunt pagina proxima indicabit.

TOMVS QVARTVS.





PARISIIS,

Apud { IOANNEM BILLAINE.  
SIMEONEM PIGET. } Viâ Iacobeâ.  
{ FREDERIC. LEONARD.

Dalivaria do loll. by M. DC. LIII. Conegj Regularej  
CVM PRIVILEGIO REGIS.

# РИДЕОГРАДА АИМО АЯПО НИТАЛ ТЕЗАР





# INDEX EORVM QVÆ QVARTO TOMO CONTINENTVR.

Synopseos Analyticæ vniuersæ doctrinæ peripateticæ pars quarta, in hac vltima editione plusquam mediâ parte auctior, correctior & illustrior.

De Poëtica Lib.

G. Du Val author hanc vltimam editionem media parte auxit, correxit, illustravit.

Problematum Sectiones.

II. Antonio Riccobono interprete.

Metaphysicorum.

XXXVIII. Theodoro Gaza interprete.

De Plantis.

XIV. Bessarione interprete.

De secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios.

II. Incerto Authore & interprete.

Jacobo Carpentario interprete.

Index Authorum qui suis laboribus ac lucubrationibus Aristotelis libros ac philosophiam conati sunt illustrare.

Hocce indices Guillelmus du Val Pontizaranus author nouæ huius & auctæ synopseos lucubrationibus suis adornauit.

Index alter quo declaratur quid sit à quoque è superioribus interpretibus in singulas Aristotelicæ Philosophiæ partes scriptum.

Index rerum & Verborum quæ notatu digniora, in Aristotelis operum IV. tomis continentur.





# SYNOPSEOS ANALYTICÆ VNIVERSÆ DOCTRINÆ PERIPATETICÆ PARS QUARTA,

*In hac ultima editione ab ipso Authore multum aucta.*

In qua libri Aristotelis quarto hoc tomo comprehensi, Poëtici, Metaphysici & cæteri etiam ascriptitij suo ordine omnes, illi quidem scholiis vberioribus, ac scècommentariis pro rerum dignitate & copia illustrantur; hi verò breuioribus argumentis, & quasi monogramma delineatione pro materiæ conditione perstringuntur.

*Authore GVILLELMO DV-VAL Pontifarano, Philosophiae Græcae & Latinae  
in Parisiensi Academia Regio Professore, & Doctore Medico.*

---

*Ad librum Aristotelis de Poëtica.*

**F**UIT & Aristoteles artis Poëticæ ut Rheticæ peritissimus. Quippe qui de Poëticâ tres ediderit libros eruditio- ne plenos ac pulcherrimos, ut testatur Petrus Victorius commentario ad cap. 7. lib. 8. Polit. vbi pollicetur Aristoteles dicturum se & nū me nū dīpōw, id est, in libris de arte Poëtica, mē kā dīpōw, de expiatione illâ, lustratione siue purgatione animorum seu motuum animi, quæ sacrī cantibus perficitur. Malè autem factum est, inquit Victorius, quod cūm tres libros Aristoteles scripsit de Poëtica, primum tan- tum corum habeamus: reliquos vetustate amisi- mus. Nam cūm polliceatur se vberius illic quam his fecerit, purgationem hanc explicaturum, mul- to plura sunt, quæ hoc loco de ipsa tradit, quam illa que in primo eorum librorum tetigit, &c. Vnicū ergo hic nempe, seruatus est de Poë- tica liber, viginti sex capitibus constans; vbi præmissa, ut solet, differendi de Poëtica eiūsque formis, methodo, statuit, omnem Poë- sim, Epopœiam, Tragœdiam, Comœdiam, esse imitationes in numero siue rithmo,

A oratione, & harmonia. Vbi de piatoribus lo- quens, ait, Polygnotum meliores imitatum esse; Pausonem, deteriores; Dionysium, si- miles. Inter Poëtas verò Homerum melio- res imitatum esse, Cleophontem similes, Hegemonem Thasium & Nicocharim pe- iores: tum de origine Poëseos. Vbi notat, hominem inter animalia esse ad imitandum accommodatissimum, & imitatione maxi- mè gaudere. Postea agit de Comœdia, Epo- pœia, Tragœdia, earumq; differentiis; item de Fabulis, earumque proprietatibus; de præstantia Poëtarum; de Choro actionibus inserto, elocutione Poëtica, nominibus, vi- tiis Epopœiæ & Tragœdiæ, de utriusque comparatione. Concludit, Tragœdiam me- liorem esse Epopœia. Sed de his plura non scripsit Se- liger erudi- sum opus de Poëtice.

## Ad Problemata Aristotelis.

*Cap. 4. li. 1.* **P**ropositio & Problema, inquit Aristoteles, solo interrogandi modo differunt. Si enim interrogetur altera tantum pars contradictionis, hoc modo, Nonne animal est genus hominis? erit *propositio*, propositio: si verò utraque pars, ut, Estne animal genus hominis, nēcne? erit problema. Sed hæc problematis acceptatio ad hunc locum non pertinet. Non enim in hoc opere interrogetur Aristoteles utramque partem contradictionis; sed tantum varias de rebus variis quæstiones proponit, quibus causas & rationes multotim effectuum partim ad medicinam, partim ad Physicam spectantium inquirit, ac deinde explicat. Itaque hoc loco problema est quæstio quælibet, sic tamen dissoluta & explicata, ut non absolute & decreto, sed cum quadam dubitandi aut interrogandi specie definiatur, nempe per *an*om, an quia. Quasi nolit modestissimus Aristoteles rem audacter, atque extremo, quod aiunt, iudicio definire, velitque potius aliis aliter sentiendi potestatem relinquere. Est igitur opus hoc problematum ab ipso auctore Aristotele, in *τηνίαται* (ut ait Scaliger exercit. I. n. 3.) in sectiones triginta octo distributum, à Theodoro Gaza Latinitate donatas, & breuissimo elenco apposite distinctas: à Federico autem Turrishano in duas summas partes redactas: quarum prior, *τετραγ*, siue ea quæ ad Medicinam attinent, exponit; posterior *επον*. Quæ quia facilia sunt, solaque lectione ferè possunt intelligi, præsertim ab homine Philosopho, & qui in acroamaticis libris fuerit versatus, satis erit per capita rerum quæ in iis explicantur, breuiter perstringere, cùm plura non permittat ratio institutæ Synopseos. Sunt ergo problemata hæc de morbis, causis morborum, desudore, vino, venere, labore, sessione, sympathia, rigore, vibicibus, cicatricibus, affectionibus hominis, & animalium, voce, sono, odoribus, regionibus, Sole, Luna, umbris, affectionibus quibusdam rerum inanimatarum, & animatarum; literarum studio, Musica, stirpibus, farina, fructibus, mari, aqua salsa, calida, aëre, ventis, metu, fortitudine, temperantia, iustitia, prudentia, intelligentia, sapientia, oculis, auribus, sternutatione, dentibus, lingua, ore, tactu, facie, toto corpore, & coloribus, quos Sol & mare immutant.

Præclara sanè & curioso lectore digna sunt, quæ de his omnibus hoc loco tradidit Aristoteles, in quæ ideo libens plura annotarem; sed non adeo obscura sunt, & præterea urgent nos majora. Est enim nunc à Physicis ad Theologica transiundum.

*Dé quibus  
sunt proble-  
mata.*

**A** Quia tamen præ manibus nostris est libellus perbreuis, ex tempore quidem compositus, & festinati Amanuensi dictatus, sed qui documenta contineat, explicetque ea quæ ad Physiologiam, imo & ad prognosim medicam, atque morborum diagnosim conferunt maximè, è quibus etiam intelligitur tractatum de Voce esse medicæ professionis, quod nonnulli è Parisiensi schola medici Doctores ante annos viginti quatuor inficiabantur ac improbabant, ut omnes sciant φυσιογ

B cæ considerationis, libellum hunc extemporaneum, quem ideo φεδίασμα ιατρολογίκον nominavi inscripsique, apponendum duxi & at texendum huic animaduersiunculæ ad problemata Aristotelis, in quorum sectione XI. de Voce & Sono differit egregie, copiosè ac subtiliter ipse Aristoteles, itavt sexaginta quinque exponat problemata de iis quæ ad vocis sonique rationem pertinent.

---

Appendix noua ad Sectionem XI. problemat. siue de voce φεδίασμα ιατρολογίκον.

**N**ON ad fastum, non ad pompam, non ad scholarium rumuscotorum aucupium, non ad festinantis diligentiae ostentationem, (ecquis enim generosæ mentis, ex hoc mustaceo laureolam querat?) sed solius veritatis, cuius alioqui vividus flos ac nitor, silentij morâ longiore conteri posset ac deflorescere; veritatis inquam, pro quâ tanquam pro aris & focis sapienti & docto cuique acerrimè dimicandum est, causâ, amore, studio adductus, impulsusque, de Voce, ut ad medicum spectare debet, nonnihil ex veterum scitis, Hippocratis præsertim, Aristotelis, Galeni, Auicennæ, Simplici stylo ac rudiore minetuâ aggredior enotare: tantisperdum ex otio majore in lucem veniat integer libellus suis numeris ornator, partibusque Medica materia, Philosophica forma (sine qua omnia confusana sunt & perturbata) construendis, absolutior.

Rudem enim hanc atque inelaboratam & sub ipso styli acumine natam Dissertationculam, quasi velitem expono; quam post elaboratorium documentorum ritè dispositos ordines, composta instructaque de Voce acies, cis pauculos dies subsequetur: eo fine ac scopo, ut omnes intelligent, vocis pernoscendæ, non philosophos tantum ad scientiæ dignitatem, sed & medicos omnes ad curandi necessitatem, debere esse studiosissimos.

Sanè verò non minima labe & maculâ adspersa, & contaminata est candida illa virginæque medicæ veritatis facies, cum nouissimis illis sermonibus, qui à viris grauissimis,

## DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

3

eloquentissimis, & alioqui doctissimis in celeberrima saluberrimâque Parisiensium medicorum schola, de Voce habitu sunt; an ea vitæ index esset & quoddam argumentum; itemque crebris extra scholam rumoribus iactatum est inter nonnullos, magnificam quidem ac speciosam de Voce questionem moueri, an scilicet vite argumentum & nota dici posset: sed nouam esse, & hanc tenus inauditam, temerèque, præcipitanter, & insulsè in scholas doctrinæ veteris obseruantissimas induciam intrusamque conclusionem hanc;

**ERGO VOX VITÆ EST INDEX.**

Objiciebatur scilicet nihil nos ex Hippocratis, Aristotelis, Galeni, aliorumque qui in arte medica, & Philosophia familiam ducunt, scriptis ac documentis acceptum testumque habere, ex quo tam festinata conclusio perspicue ac legitimè colligi posset, atque, ut par est, comprobari.

Imò verò, cùm primi illi Medicinæ parentes, vocem nullius in Medicina esse momenti intelligerent, nihil eos idcirco de Voce quod dignum esset medico, literis mādasse, nihil de illa, quod ad vitæ significationem, sanitatis & morborum iudicia, præsagiâque pertineret, tradidisse; adeòque omnem, quæ à Voce peti posset, tanquam vanam, incertam, vel certè obscurissimam penitus reliquisse.

Cædo enim, inquiunt, si potes Hippocratis, aut Galeni, aut aliorum primæ notæ philosophorum ac medicorum de Voce libros, aut tractationes, opusculâve vlla? Dic quæso, & eris nobis magnus Apollo, vbinam librorum extet de Voce scripta ars atque adornata?

Summus medicinæ dictator Hippocrates eiusdemque Genius ac interpres Galenus, ali etiam medicinæ principes, an vocis definitiones vllas, divisiones, species, differētias, proprietates, affectus, aliqua methodo explicarunt, aut vocem tanto iure ad medendi artem spectare docuerunt? minimè gentium. neque id mirum. siquidem ipsa formandæ vocis instrumenta, vel penitus ignorarunt, vel in iis designandis aberrarunt, vel non satis explorata perspectâque habuerunt.

Quotus autem quisque est, qui ea de re artem putet esse constitutam, cuius ignorantur instrumēta necessaria? quin etiam his adhuc temporibus vocis organa non satis in certam venerunt cognitionem. Quod si nihil aut parum admodum à veteribus illis medicinæ & philosophiæ antesignanis de Voce accepterimus; si quæcunque de Voce extant atque etiamnum edūtur monimēta & animaduersiones, vel falsitatem habeant, vel dubitationem, omninoque controversiarum nubibus adhuc sint inuolutæ; An non confidens ingenij est, sibique nimium tribuentis, **VOCEM**, qua nihil fugacius & mutabilius

A est, nihil euanscenti auræ similius, nihil denique nihilo vicinus, vitæ nostræ indicem, & quasi horrarium ad quod medicus oculos conuertere debeat, adstruere?

Quid vero? an non vox actio animalis est, ex arbitrio loquentis, eiusque mero beneplacito tota dependens? (sit enim vocalium muscularum operâ, in quos ideo inseruntur nervi recurrentes) an non vocem, in omnes quos volumus modulos, tonos, accentus facillimè flectimus? an non vocem, cùm liber, acuimus, attollimus, deprimimus, longam,

B breuem, grauem, exilem, querulam facimus? ipsas etiam animalium voces simulamus? vt certè nihil adeo nostræ potestatis esse videatur, nihil nobis voce obsequenter. Quæ autem sic se habent functiones, non tam vitæ quam sensus, aut motus, non tam vitalium quam animaliū facultatē indolem arguant & indicant. Postremò, quæ societas est, quæ cognatio, quæ affinitas vocis & cordis? (neque enim vox actio est cordis propria,) quæ vocaliū organorū cum vitalibus cognatio, vel sympathia? quæ cum calore natuuo (in C quo vita cōsistit) vocis analogia & proportionē vt vox vitæ index suo merito debeat proclamari? & coram tot tantisque viris, quot & quantos in medicorum selectissimo amplissimoq. ordine florere constat, tam secutè, tam confidenter nouum hoc dogma sustineri?

Hæc ni fallor argumenta sunt, hæc rationum acumina, hæc auctoritatum missilia, quibus partim impedita fuit, partim impeti posse videtur, hoc de Voce veriloquium, **VOX VITÆ INDEX EST.** Quibus tametsi fuerit abundè in scholis satisfactum, omnia-

D que planissimè, plenissimèq. exposita, compositaque fuerint, adeoque remanserit hanc tenus inconcussa atque illibata conclusio: quoniam tamen non thesim modo, sed & responsa nostra carpunt & condemnant imperiti quidam maleque feriati homines, quibus thesaurus iste, vt ait Plautus, in lingua situs est, vt maledicant bonis: ideo vt eorum susurros, latratus, conuiciâque sapientiū terprimam, neque clauum clavo, id est iniuriam iniuriâ trudam retundamque, sed validis rationibus importunissimas refellâ calumnias,

E omnibusque iis respondeam, qui conclusiōnem mere philosophicam esse nugantur, vel si vtcunque medica est, temerè tamen positam esse, veterumque suffragio & calculis destitutam: docere breuicula hac Dissertatione institui, tribusque verbis (ενάγων δέ σίκα τείνει πρόκειται, vt ait Pindarus) explicare, vocem medici esse iuris ac ditionis: & in eius naturâ, differentiis, organis, & affectionibus diligentes operas, veteres medicos & philosophos collocasse: Atque quod præcipuum est, ex ipsorum documentis clare certoque colligi propositæ quæstionis conclusionem, vocem scilicet vitæ indicem esse,

Quod prīusquam facio, placet earum A quas antea perstrinxī, argutiolatum, quæ rudiōribus imponiunt, fallaciā rētegere. Quis enim tam infans, legumque Logicarum ignarus, qui nō videat huius consequentiā imposturam? Nihil vel parupnādmodum de V O C E veteres tradiderunt, nullam de cā artem construxerunt, vnde possit nouā hæc colligi conclusio, V O X V I T A E S T I N D E X, ergo falso est, temerēque possum, vox ē esse vitæ indicem.

Elumbis profecto est, effēta, atque exlex consequentia, hisque simillima: Hippocrates nihil aut pauca de pulsibus docuit, neque de illis perfectam artem reliquit, ergo falso est pulsū esse vitæ indicem. Aristoteles nihil de nono ac decimo cœlo scripsit, ergo non sunt decem cœli. Canon Logicus est, ab autoritate negativa non valere argumentum.

Ex quo facile adducor ut credam, eos qui has argumentandi formulas contexunt, non tam docendi quām tentandi studio id face-re, ac de industriā vti paralogismis ad captio-nem potius, quām institutionem. Porrò C quamquam obscura essent & difficultatum nodis inuoluta (vt non sunt) quæ de V O C E ab antiquis tradita sunt, non tamen propter ea à veritatis, quæ temporis filia est, curiosā disquisitione, iuniores debent auocari: imò potius veterum inuentis noua adjicere expedit: adeoque licet expressis verbis proposita conclusio in veterum libris non extaret, non tamen propterea insulsum ac temerarium esset, eam ritè expositam optimisque stabili-tam rationibus, vt verissimam constanter propugnare. Atenim, inquies, magnificam D istam conclusionem débellat euertitque fir-missima hæc ratio. Vox est actio animalis, fit enim operā musculorum laryngis, ergo non erit index vitæ aut facultatis vitalis, sed potius animalis.

Respondeo primò negando consequen-tiam. Actio enim animalis potest esse index vitæ. Sic respirationis actio est animalis, fit enim operā musculorum; respiratio autem est index vitæ: quippe quæ cùm libera est, & expedita, vitæ securitatem, quantum ex se est, cùm difficilis & impedita, periculum de-nunciet.

Respondeo secundò, vocem esse actionem animalem & vitalem simul, diuerso respe-ctu: Animalem quidem, idque maximè prop-riè; -quia fit volentibus nobis beneficio musculorum & nerorum recurrentium: vi-talem verò, quamquam non adeo propriè, quia fit per asperam arteriam & pulmones, quæ sunt vitalia organa, cordi scilicet desti-nata. Appello enim organum vitale, quod vitæ principio per se & primario deseruit, vt est aspera arteria & pulmones aëri inspiran-do, & expirando in gratiam cordis, cōsecreti-

Hinc apparet societas vocis & cordis, vi-talium vocaliumque instrumentorum con-nexio ac necessitudo, vt certè eadem sint, totque imò plura ad vocem, quæ & quot ad respirationem, sine quâ vita non perdurat, necessaria instrumenta. Quod si vox sine respiratione nulla est, hancque illa necessa-riò supponat, vt omnes confitentur, & eate-nus vocem edamus, quatenus respiramus; voxque respirationem vt vara vibiam sequatur, cum qua scilicet conjunctissima est; pro-fecto vox respirationis erit index: respiratio B autem ad vitam omnino pertinet, estque certa illius nota; de vita enim iudicamus, ex libera aut difficiili respiratione: quare vox erit etiam vitæ index vt respirationis. Si igitur vox actio animalis est & vitalis, poterit vitam indicare. sed ea de re infrā.

Addo non esse necessum, vt quicquid vi-tæ est index, illud pertineat propriè & im-mediately ad facultatem vitalem: tempera-mentum enim sanguineum & color floridus, vitam indicant, neque tamen pertinent ad facultatem vitalem, sed naturalem. Præ-terea oculi vitæ sunt indices, denotant enim vniuersi corporis statum & dispositionem: nam vt oculi se habent, ita & totum corpus, inquit Hippocrates partic. 28. 1. 6. epid. sect. 4. & Gal. in com. At verò oculi facultatis animalis sunt instrumenta potius quām vita-lis, non ergo sapiunt satis, qui ex eo quod vox sit actio animalis, eam non propterea vitam indicate causantur.

Prodeant potius illi in disputationis thea-trum, quām in tricliniis & circulis garriane obganniantque apud Medicinæ & Chirur-giæ tyrones, apud imperitos, apud mulier-culas & obuios quosque è plebe: quod eos impudenter ac supetbè fecisse audio, & di-xisse quæstionem hanc de V O C E, Philosop-hicæ potius esse subtilitatis quām Medicæ professionis. Hos blaterones, hos Gallo-chianos & vicatim cursitantes canunculos Medicinæ & Philosophiæ penitus ignaros, bardos illos & plumbeos homines, stuporis & ignorantiae vera mancipia, & quibus os adeo durum est vt pugiles esse possint, tales inquam, qui Dianam nostram importunissi-mè allatrant, nihil moror; atque ab iis solo contemptu me vindico; vt tamen veritati falsò ac temerè adspersam maculam, ante-quam altius infideat & inueteret, eluam; méque à calumnia liberem, tria hoc loco ponam Pronuntiata, ex quibus ritè consti-tutis atque confirmatis, docti omnes intelli-gant, nobis vel noui, vel falsi dogmatis cri-men, aut suspicionem malo iure, malo more imputari.

Sit igitur I. PRONUNTIATVM.

Vox est Medicæ considerationis.

Probo sic. Omnis actio animalis est medice considerationis;

*Atqui vox est actio animalis;  
Ergo vox est medicæ considerationis.*

Major propositio suopte lumine & certitudine manifesta est, omniumque Medicorum consensu approbata. siquidem prima Medicinæ pars Physiologia, tractatum habet singularem de Actionibus, quarum ut & facultatum tria sunt genera, aliæ enim naturales sunt, ut nutritio; aliæ vitales, ut pulsatio; aliæ animales, ut visio, imaginatio, motus spontaneus. Minor Prop. æquè certa est: fit enim vox ope muscularum. Missa hic facio Auctorum testimonia ob rei claritatem. Cœclusio igitur verissima. Syllogismus enim rectissimè est conformatus, in prima scilicet figura, & modo barbara; minor enim infinita in materiâ necessariâ æquipollit universali. ex doctrinâ modalium est autem vox adhuc medici instituti magis propria, cum ad vitæ significationem, sanitatis & morborum iudicia refertur. quod cum factum fuerit in progressu theses, fatuantur atque ineptiunt, vel certè rumpuntur inuidiâ, qui quæstionem, *An vox vitæ index, temerè insulseve positam dicitant, vel philosophicam magis, quam medicam esse cavitantur?* Quòd si vocis consideratio philosophica magis quam medica esset, quorsum quæsto, tot & tanta, quot nunc & quanta cursim commemorabimus, de voce documenta, ut ad vitam, mortem, morbosque pertinet, veteres tradidissent?

## II. PRONUNTIATVM.

*De voce dogmata quamplurima, eaque egregia & scitu digna, imò & medico necessaria veteres philosophi & medici tradiderunt, ut ferè non videatur nouâ Arte opus, ad vocis cognoscendam formationem, enotandasque differentias, affectiones, morbos, denique & decernenda præsagia.*

Vt huiuscē Pronuntiati veritas elucescat; è veteribus auctoribus eos assumam, quos Medici præcipue colunt ac venerantur, Hippocratem dico, Aristotelem, Galenum, Auicennam, qui & multa & præclara, cum Philosopho, tum etiam maximè Medico necessaria de voce, memoriae commendârunt. & quoniam extemporaneæ huius dissertationculæ breuissimi fines & angustiæ, infinitas propemodum de voce sententias, & documenta à quatuor illis Philosophiæ, ac Medicinæ Amanuensibus & Coryphæis accepta capere ac complecti non possunt, ideo è multis pauca, eaque insigniora præcerpam & commemorabo, quædam etiam solâ locorum indicatione designabo, cætera curiosi lectoris diligentiaz & otio relicturus. Neque enim hîc vocem definire placet, dividere, differentias eius omnes & modos, affectiones, morbos & instrumenta vberiore minerua explanare, & quicquid à veteribus de voce dictum est, exponere; sed hoc vnum demonstrare libet, tantum abesse ut veteres

A quos modò nominaui, vocis naturam, differentias, instrumenta, formationem, & quæ ex ipsâ petuntur præfigia, ignorauerint; vocisque considerationem, ut friuolam, incertam, ac medico inutilem neglexerint, quin potius ea, de voce tradiderint, quæ nisi ipsi primi docuissent atque obseruassent, posteriorum nemo fortassis vñquam fuisse assuetus. præsertim cùm quæ de voce hac tempestate proposita fuerunt, licet ex veterum oraculis fuerint de prompta, noua tamen & insulsa (quamquam insulfissimè) iudicentur.

B Ordior ab Hippocrate, qui si verborum molem, pauca; si vim & energiam, si sensum, si medullam rerum medicarum species, multa, peneque omnia de voce pronunciauit. Hos ego præ cæteris flosculos selegi, quos festinantes Typographorum operæ græcis characteribus exprimere non potuerunt.

C Primus est eiusmodi. *Si pulmo cauus non esset, neque ei adnascetur fistula, animalia nullam vocem emitterent. vocem etim ex pulmone edimus, quod cauus sit, prætereaque eius fistula. vocem autem labra & lingua articulatam reddunt.* Hipp. l. 4. de morbis. Quid de formatione, de instrumentis vocis dici potest apertius? quid luculentius? quid de voce articulatâ, id est sermone, expeditius?

D Secundus. *Vocis articulate sive sermonis in homine causa est, quod totum corpus spiritum introtrahit, eumque plurimum in suas cavitates. is verò per inane pulsus foras, strepitum facit. caput enim resonat, lingua verò in faucibus inter septum suo appulsi format, & ad palatum ac dentes impingens, clarum reddit. Quod nisi lingua suo semper appulsi formaret, non distinctè homo loqueretur, sed singula vnam naturâ vocem ederent. Cuius rei indicio sunt muti à primo ortu, qui distinctè loqui nequeunt, sed solam vocem edunt, &c.* Hippoc. l. de carnibus. Quid adhuc de sermone magnificientius, vberius exquisitus?

E Tertius. *Vox stridula, post vomitum difficilem, insaniam portendit.* Hip. li. i. prædict. partic. 17.

Quartus. *Vbi alius humescit, eger laetidine, capit dolore, siti, vigiliis torquetur, obscurè loquitur, & admodum impotens est.* l. i. prædict. partic. 38.

Quintus. *Vox acuta & stridula, mala.* ibid. E partic. 47.

Sextus. *Voces tremule mentis vehementem alienationem significant.* ibid. partic. 19.

Septimus. *Vocis defctiones cum singultu pessime.* ibid. partic. 23.

Octauus. *Vocis defctiones cum virium exolutione, pessime.* ibidem partic. 24.

Nonus. *In vocis defctione respiratio, velut in iis qui suffocantur, conspicuè elata & visu exposta, perniciosa est.* Num verò etiam delirium prenuntiet, animaduertere oportet. ibid. partic. 25.

Decimus. *Vocem & spiritum audire oportet, & inde dignoscere.* l. 2. prædict. Quis igitur non

videt, ex voce multa posse præfigiri, vo-  
cemque ipsam nuntiam esse ac indicem vitæ  
& morborum?

Sed & obseruat Hippocrates partic. 74.  
h. 3. epid. quater in ægrototo tertio, defectum  
vocis, quem etiam ait ἀφορετον οβισθε. vbi Ga-  
lenus aduertit defectum vocis, extinctionem  
naturæ significare. An non sic vox vitæ  
index?

Inter eos, inquit etiam Hipp. l. 1. epid. sect.  
3. part. 78. moriebantur adolescentes, glabri, &  
qui rectos capillos vel nigros, & nigros oculos  
babebant, & qui sonorâ voce erant, vel gracili,  
vel asperâ.

Præterea, cùm tendines cernicis posteriores  
contenduntur, apparentque tetani modo intendi,  
vox abrupta est. & spiritus parus. De viet. rat.  
in acut. partic. 33.

Quod etiam quis derepente oēmutescat, id  
venarum interceptiones, occlusionesque faciunt.  
ibid. part. 23.

Item, Qui tabescer. incepunt, vocem vitia-  
tam habuerunt. l. 3. epid. sect. 3. partic. 32.

Mitto Aphorismum 5. sect. 5. & Aph. 51.  
sect. 6. & Aphor. 58. sect. 7. vbi vocis defe-  
ctionem ac priuationem siue ἀφορία plerum-  
que lethalem esse docet.

Ad doctrinæ verò vbertatem adjecit &  
hanc de voce præclarissimam sententiam:  
Hipp. l. 6. epid. sect. 4. partic. 24. Quibuscum-  
que calidum plurimum inest, vocalissimi sunt,  
frigidus enim aér plurimus, atque ex duobus ma-  
gnis, magna & que oriuntur, existunt. Quo ex  
loco mox demonstrabimus, facile colligi  
posse vocem vitæ esse indicem. Eat nunc  
calumniator, & dicat, nihil Hippocratem de  
voce tradidisse, vocisque considerationem  
nullius esse in medicinâ momenti.

Aristoteles verò tam multa tamque ma-  
gnifica de voce scripsit, ut si à me transcribe-  
rentur, iusti voluminis magnitudinem exce-  
derent. Naturam enim & essentiam vocis,  
organæ, species, differentias, significatio-  
nem, affectus, horumque causas tam amplis  
tamque luculentis commentariis exposuit,  
& illustrauit, ut nihil penè ad integræ artis  
formam possit desiderari.

Sed quoniam non vacat neque expedit,  
infitorum locorum farraginem hoc loco  
congerere, capita vel libros satis erit recen-  
sere. Totus penè est Aristoteles in Voce, sect.  
11. Problematum. Ibi enim sexagintaquin-  
que problematis, ea exponit quæ ad soni,  
vocis, sermonisque rationem pertinent. de  
Voce etiam luculentissimè suo more differit  
lib. 2. de An. c. 8. l. 4. de hist. animal. c. 9.  
l. 1. Polit. c. 2. l. 3. Rhetor. c. 1. in Physiogn.  
c. 2. in Fragn. de Audibil. & alibi passim.

At Galenus præter integros de voce libros  
ā se editos (vt ipse testatur Com. 4. in lib. 6.  
Epid. part. 24. & Com. 1. in l. Prorrh.) qui  
tamen temporum iniuriâ, & hominum incu-

A riā perierunt, innumerabilia fermè de Voce  
documenta, variis libris expressa reliquit, vt  
nihil habere videantur iuniores quod possint  
asiaticæ illi redundantiae adjicere, vel etiam  
doctrinam de Voce, in perfectiore artem  
conformatre.<sup>11</sup>

Atenim, inquies, confusa sunt, vel certe  
dispersa, quæ de Voce Galenus obseruauit.  
Iunge, inquam, & compone quæ disjunctit  
Galenus, veram artem ac methodum effe-  
ceris, definiuit enim vocem Galenus, diuisit,  
modosque ac differentias omnes, quæ ad ar-  
tem referti possunt, exposuit vberissimè; or-  
gana verò siue instrumenta vocis diligentissimè  
perquisiuit ac demonstrauit, opusculumque  
singulare edidit, de vocalium in-  
strumentorum dissectione, affectus omnes,  
morbos, ac symptomata vocis, eorumque  
causas fuit accuratissimè persecutus. quid  
plura? ὁγκωμίας, βαρυτωμίας, ιόγοτωμίας rationem red-  
didit, vocem à sermone & strepitu distinxit,  
ex voce calorem, & asperæ arteriæ & thora-  
cis conformatiōnem collegit, morborum  
mortisque præfigia intellexit; deniq; quid-  
quid splendidum & graue & magnificum de  
Voce dici poterat, fusissimè pertractauit. An  
imponam, videbit lector studiosus, si Gale-  
num consulat sequentibus locis, l. 1. de Loc.  
aff. c. 6. l. 4. de Loc. aff. c. 6. Art. med. c. 66.  
67. 68. 69. l. de Motu musc. l. 2. de Décret.  
Hipp. & Plat. l. 2. 6. 7. 16. de Usu part. in l.  
1. Epid. Com. 2. l. 6. & 8. de Anatomi. Ad-  
min. in l. 6. Epid. Com. 2. & 4. in l. 1. Prorrh.  
Com. 1. & 2. in l. 3. Epid. Com. 3. l. 5. de Sa-  
nit. tuen. l. 1. de Semine. l. 3. de Diff. pulf.

Princeps verò Arabum Auicenna, inte-  
grum tractatum, eumque insignem de Voce,  
scriptum reliquit, decem capitibus comprehen-  
sum, quibus & naturam & differentias  
vocis explicat, & curationem affectuum qui-  
bus vox lœditur, perspicue ac luculenter ex-  
hibet. est verò hic Auicennæ tractatus se-  
cundus Fen. x. l. 3.

Ergo veteres & Philosophi & Medici, Vo-  
cis considerationem magni fecerunt, nece-  
sariam Medico iudicarunt, qui scilicet tot  
tantaque ad medicam artem spectantia do-  
cumenta, de ipsa tradiderunt: nihil ergo  
nouum, nihil ad medendi artem inutile ag-  
gressi sumus, cùm de Voce thesim medicam  
instituimus?

Accusantur interim veteres, quod vocalia  
organæ nescierint. sed fortè iniqua est ac-  
cusatio, nihil enim videntur prætermisso;  
præsertim Galenus, errarunt fortè cùm di-  
ixerunt epiglottidem esse primarium vocis  
organum, vt dixit Galenus l. 1. de loc. affect.  
c. 6. & Auicenna Tract. 2. de Voce, c. 1. Fen.  
10. l. 3. Sed possunt excusari, si dicamus eos  
nomine epiglottidis glottidem intellexisse,  
cuius apertione, dilatatione, constrictione,  
accessu & recessu vox efformatur, per mus-

culos laryngis, neruosquerecurrentes. quid est epiglottis, quid glottis, tonsoribus notum est, imò & laniis; sed neque necessum est vocalia organa hoc loco recensere. festinamus enim ad

## III. PRONUNTIATVM.

*Ex veterum scriptis ac documentis clarè certoque colligi, Vocem esse vitæ indicem.*

Triumphat hoc dogma, Vox vitæ index est, non rationum duntaxat pulcherrimo apparatu, sed & locupletissimorum testimoniorum propè infinitis luminibus.

Placet verò imprimis veterum sententias aliquot de voce, ut ad vitæ, sexus, ætatum, morborum significationem & præfigia pertinet, quasi splendidiores stellas hinc inde colligere, ut ex iis ritè compositis, ad sitis & ordinatis rationes firmissimas contexamus, & medicum hoc oraculum, Vox est vitæ index, quasi Hippocraticum & Galenicum sydus atque asterismum, conspicuum & illustre faciamus.

Sententia prima est Hippocratis partic. 24. sect. 4. l. 6. Epid. *Quibusunque plurimum calidum inest, vocalissimi sunt; frigidus enim aer plurimus, ex magnis autem, magna & que oriuntur, existunt.* Quo loco per calidum intelligitur innatum, cuius cor focus est, ut ait Gal. in Com. itavt velit Hippoc. eos qui calido innato abundant, voce etiam præpollere, ubi autem calidum innatum plurimum est, ibi vita vegeta est, constans, diurna. vita enim in calido innato posita est: quare si ubi calidum est, ibi sit vox magna; ubi verò calidum plurimum, ibi vita etiam diurna; certè ubi vox erit magna, ibi etiam argumentum erit vitæ diurnioris.

Sent. 2. est Arist. problem. 3. sect. 11. problem. ubi tanquam certissimum supponit, eos qui calidioris sunt naturæ, magna voce præditos esse. cùm enim hoc credat esse certissimum, rationem & causam hanc esse ait, *Quia, inquit, multum in his aërem frigidumque (malè enim legitur in versione vulgata Theodori Gazæ, feruidumque, hoc enim contrariatur sententiæ, & præterea in textu Græco habetur ψχοτ. denique dissentiret Arist. ab Hippoc. qui dixit loco cit. frigidus enim aer plurimus) inesse necesse est. Vis enim caloris facile ad se spiritum trahit, & aërem, eoque amplius id agit quo amplior est: vox autem magna tum oritur, cùm aëris multum agitatur, utque acuta, cùm celeriter, sic grauis, cùm tardè aer incitatur.*

Sent. 3. est Auctiennæ Tract. 2. de Voce, c. 1. Fen. 10. l. 3. *Caliditas magnificat vocem, & frigiditas acuit & minorat eam.* Ergo vox magna est caloris effectus; vox acuta & parua, frigoris. Effectus autem est index suæ causæ, quare vox erit index caloris aut frigoris, huius quidem parua & exilis, illius magna & valida. at quod est signum caloris, est signum

A vitæ longioris: quod est signum frigoris (id est caloris diminuti) est signum vitæ breuiris; qui enim frigidiores sunt, breuius vivunt; qui calidiores, diutius: Vox ergo erit index vitæ.

Quarta sent. est Galeni Com. 4. in l. 6.

Epid. sect. 4 part. 24. *Percalida natura homines vocaliores, præsertim si aspera arteria & guttus latius pateant. Quod si pectus totum amplum sit, non solum ingentem vocem homines edere, sed etiam diutissime vociferari posse.* Legantur cætera. ex his enim quæ inibi docet Galenus,

B liquidò constat velle cum, vocem magnam nonnisi à calore insito plurimo posse proficisci: deinde verò à latitudine asperæ arteriæ & gutturis, amplificatione thoracis, & pulmonum: quæ quidem organorum dilatatio atque amplificatio, cùm sit à calore, (caloris enim est dilatare) ideo simpliciter dici potest, vocem magnam, calorem plurimum, qui in corde viget, indicare, atq; adeò vitam. est igitur vox magna, à calore insito exuberante, ut à principe causâ, à dilatatione verò tracheæ & gutturis, amplificatione pulmonum & thoracis, ut à causâ secundariâ & instrumentalí. & quoniam, inquit Galen.

C contingit, non semper seruari proportionem cordis & pectoris, & pulmonum, & asperæ arteriæ, adeo vt pro ratione caloris cordi insiti, vel pro ratione magnitudinis cordis, respondat magnitudo pectoris, & dilatatio vasorum hinc sit, ut inter homines & quæ calidos, in vocis magnitudine multum interficit nempe quia contingit organa in aliis ampliora esse, in aliis minora & angustiora. Ex quo sequitur valere conclusionem à voce magna, ad magnum calorem; non contraria à calore ad vocem, nisi vna cum calore latitudinem asperæ arteriæ & gutturis coniungas. Est enim vox magna, effectus quidem caloris, sed mediante latitudine arteriæ asperæ, gutturis, &c. quare ubi vox magna erit & valida, licebit certò colligere insiti caloris vim & copiam, simulque gutturis & asperæ arteriæ latitudinem, pulmonumq; thoracis amplificationem, præsertim si vox illa magna & valida fuerit longioris spiritus. Quod si vox parua est & acuta, non semper inde colligitur caloris defectus & imbecillitas; quia fieri potest ut quis calore abundet, vocem tamen emitat acutam & tenuem ob organorum angustias. quod si vocis defectus esset à caloris inopiam, ut in moribundis, & iis qui laborant ab exhausto, certissimum argumentum esset vitæ diminutæ ac imbecillitatis. Vbi enim deficit calor, & exhaustæ sunt vires ac spiritus, vita etiam deficit. itaq; cùm vox languescit iis, quiccum saniescent, validam magnamque vocem edebant, id in malis est habendum. Vult ergo Galenus ab ingenti voce colligi dilatationem gutturis, asperæ arteriæ, & pulmonum, itemq; caloris

D

E

innati vigorem & vberitatem; adeoque vocem esse vitæ indicem. Hoc enim clarissime sequitur.

Idem Gal. c. 69. Artis med. scribit acutam naturâ vocem non fieri sine angustia fauclium; neque grauem sine latitudine: at eodem loco scribit angustiam esse ab innata frigiditate, latitudinem à caliditate. Quare vox grauis ut & magna erit à caliditate, non solâ, vel ut à principio proximo & immedia-to. Sic enim negat Galenus c. 67. vocis magnitudinem esse à caliditate, (solâ scilicet & ut à principio proximo) ut & paruitatem à frigiditate, sed à caliditate, vna cum asperæ arteriæ. Idem Galenus sub finem, cap. 67. Art. med. scribit, *Nos ex voce de naturali temperaturâ ratiocinari. quis autem nescit naturalem temperaturam vitam indicare?*

Idem Galen. l. 6. Anat. admin. c. 1. *Voce animantis auditâ, inquit, de illius structura & organis coniecturam sumere poteris, non ex magnitudine vocis tantum, sed alia quoque specie. At certum est structuram animalis magnopere conferre ad eius vitam.*

Huc referre oportet flores Hippocraticos antea collectos ex l. 1. & 2. prædict. ex l. de Dieta; ex 1. Epid. sect. 3. ex lib. de Rat. vict. in acut. ex 3. Epid. part. 74. ex Aph. 5. sect. 5. ex Aph. 51. sect. 6. & Aph. 58. sect. 7. ex l. 3. Epid. sect. 3 part. 32. In his enim locis ex vocibus stridulis, acutis, tremulis, abruptis, ex vocis etiam defectionibus vitæ pericula, morborumque grauitatem, tanquam ex signis certissimis denuntiat ac prædicit Hippocrates, atque aphoniam, apoplexiæ, quæ mortem saepius infert, facit simillimam.

Galenus verò Com. 3. in 3. Epid. Ægrot. 3. disertissimi verbis scribit, vocis defectum significare extremam naturæ & facultatis extinctionem. & Com. 2. in 6. Epid. nos ex voce conjectere de morbo: morbus autem, ut aiunt, est *μοῖρα βίη*, vitæ fatum. Ex his ergo omnibus, aliisque quamplurimis, quæ breuitatis causâ prætereo. quis non videri putasse veteres, vocem magni esse ad vitam momenti, illamque huius modum ac tenorem luculententer indicare? His igitur ita constitutis, rationes nostras sic componimus.

### PRIMA RATIO.

*Quicquid indicat calidum innatum, est vita index;*  
*Atqui vox indicat calidum innatum:*

*Ergo vox est vita index.*

Maior propositio per se nota est. vita enim consistit in calido innato. per calidum enim innatum intelligunt medici calorem natuum, humorem primigenium, & spiritum fixum, quæ tria vitam faciunt, licet quidam dicant spiritum non differre à calore: quare quicquid indicabit calidum innatum, indicabit & vitam. Minor prop. est Hipp. Gal. Arist. locis cit. constat enim ex ipsorum documentis, vocem magnam esse testem caloris ex-

A berantis, cum non possit fieri vox magna & ampla, nisi multus aer inspiretur, & deinde confertim & cum copia expiretur: at vero non inspiratur aer plurimus, nisi cum calor abundat; quod enim calidores sumus, eo aëris ampliori refrigeratione egemus: ergo non sit vox magna nisi calor abundet, unde sequitur vocem magnam esse testem caloris, adeoque vitæ indicem.

### SECVNDA RATIO.

*Quidquid indicat conformatiōnē pulmonum & thoracis, illud est vita index:*

Atqui vox indicat conformatiōnē pulmonum & thoracis: Ergo vox est vita index. Maior certa est. nam à conformatiōne pulmonum & thoracis omnino vita dependet, hinc qui breviores habent pulmones, & thoracem angustum, tabulatum, contractum, dicunturque *owidenses*, & *πτηγάδες*, cito mortiuntur, suntque tibi obnoxij. ex Gal. Com. 1. in 1. Epid. p. 18. & Com. 2. Aphor. 34.

Minot constat ex Gal. Com. 4. in 6. Epid. p. 24. ubi ait vocem fieri semper magnam, amplam, & longissimi spiritus, cum aspera arteria, guttur, pulmones, & pectus ampla sunt, lateque patentia; & magnitudini atque calori cordis probè respondent.

### TERTIA RATIO.

*Quidquid indicat temperaturam animalem, id est, cerebri; vitalem, id est, cordis; naturalem, id est, hepatis, illud est index vita:*

Atqui vox indicat temperaturam cerebri, cordis, & hepatis:

*Ergo vox est vita index.*

Quid verius ac certius maiore propositione? nam à trium principum partium temperatu-

râ dependet vita, ut certè si una illarum læsa sit & vitiata, necessum sit corporis economiam perturbari, vitamque concidere. Minorem autem sic demonstro. Primo enim certum est vocem prodere & manifestare cerebri temperaturam & affectiones, quia est actio animalis, cuius vis est à cerebro per nervos: hinc oppleto vaporibus aut humoribus cerebro fit aphonia, ex Gal. Com. 5. in Aph. 5. Deinde verissimum etiam est cordis temperaturam per vocem significari, quia vox magna testis est caloris insiti in corde exuberantis, ut ait Gal. Com. 4. in 6. Epid. Item vox est actio vitalis, quia fit per pulmones & asperam arteriam, ex Hipp. 4. de Morb. & Gal. 1. de Vsu part. & 6. Pulmones autem & aspera arteria sunt organa vitalia, immo & thorax, quia per se & primariò cordi vitæ principio famulantur. itaq; vox cordis temperaturam significare poterit. Denique vox naturalem temperaturam indicat. hoc enim docet Galenus c. 67. Art. med.

### QUARTA RATIO.

*Quidquid est index respirationis, est index vita:*

*Atqui vox est index respirationis:*

*Ergo vox est index vita.*

Maior

## DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

3

Maior est clara & certissima. vita enim respiratione stat, neque à respirandi munere cesse possumus, inquit Hippoc. l. de Flatibus, sine vitæ periculo. quare quod indicabit respirationem, eiusque magnitudinem, paritatem, frequentiam, tarditatem, &c. idem & vitam indicabit. Minor sic demonstratur. vox enim penitus ac necessariò dependet à respiratione; debet enim ad formandam vocem aër primò attrahi & inspirari, deinde vehementer exspirari, atque exsufflari: si quidem aëris exsuffratio aut vehemens efflatus, vt ait Gal. 4. de loc. aff. c. 6. & in Arte Medic. est materia vocis. quare cùm exspiratione & inspiratio ad respirationem pertineat, vox quæ utramque indicat, indicabit etiam respirationem. quod sole clarius est.

### QVINTA RATIO.

*Quidquid significat extremam nature extincionem, vehementem mentis alienationem, virium imbecillitatem, phrenitidem, motus sensusq; priuationem, illud vita periclitantis est index:*  
*At qui voces tremule, acuta, stridule, vel etiam vocis defectiones, ista omnia significant, ut constat ex locis citatis:*

*Ergo voces tremule, &c. erunt vita periclitantis indices.*

*Denique ut finiam: Quidquid etates & sexum distinguit, illud est vita index:*

*At qui vox distinguit etates & sexum:*

*Ergo vox est vita index.*

Probo Maiorem. ætas enim re ipsa vita est, vel si vis, vita certum spatum atque curriculum, in quo corporis constitutio, calidiq; & humidi temperatura insigniter immutatur; quare quod ætatis erit index, idem erit & vita. Minor est ipsi plebeculae cognita: ex voce enim auditâ distinguunt omnes, an mulier loquatur, an puer, an adolescens, an vir: virti grauius loquuntur; mulieres, pueri, spadones acutius; inquit Galen. Com. 2. in I. Prorrh. Aristot. Probl. 65. sect. II. & recte Plinius cap. 51. lib. II. *Vox in homine magnam vultus partem habet; agnoscimus enim priusquam cernamus, non aliter quam oculis, totidemque sunt esse, quot in rerum naturâ mortales, & sua cuique sicut facies: Hinc illa gentium totque linguarum toto orbe diuersitas, hinc tot cantibus & modulis flexiones, &c.*

Congererem alia multa, & scitu digna, de Voce, sed hæc ad schediasma satis. Habeo, opinor, intentum, & veritatis metam videor attigisse. Triumphat enim & veterum auctoritatibus, & rationum ponderibus medicum hoc de Voce veriloquium, *Vox est vita index.*

Hæc habui quæ festinante manu ac currente stylo scriberem aduersus eos, qui vocem nihil ad medicum conferre, non disputando quidem, sed maledicendo, impudentissime, ignorantissime, ac insulsissime dixerunt. Quos moneo ut tria nostra Pronuntiatione scriò expendant, & si possint, falsi co-

A arguant; si non possint, dent manus veritati & modestiæ, & non tam meis quam veterum oraculis assentiantur.

### *Synopsis Analytica Metaphysicorum Arist.*

*De Metaphysice præstantia, objecto, nominib.*

**V**T speciosa Iris illa Thaumātias, lucidæ rum impressionum princeps, arcus Dei, nubiū decus, diuini fœderis index, & aëreæ regionis splendor, ac ornamentum, pulchritudinis suæ miracula repetit ex triplici dis crimine colorum, punicei, viridis, & purpurei: Sic & scientia omnis in humanæ mentis œlo, vt Iris in nube, fulgens, splendorem suum perfectionemq; mutuatur ac desumit ex tribus præsentim notis, nimis ex subje cti præstantia, ex docendi methodo & subtilitate, quam *explicatio* vocant, & ex usu potiore. Ac tertia quidem nota præcellit Politica, vrbium custos, & regnum direætrix: secundâ artes Mathematicæ, quæ certius exactiusq; demonstrant; primâ denique Scientia naturalis, quæ in substantiis corporibusque natu rata, id est, materia & forma constantibus, oc cupatur: præstat, inquam, objecti dignitate Physica, estque superior & honorior Politicis Mathematicisque disciplinis: Sed eandem ob notam, titulumque objecti præstan toris, Physicam longè superat, omnibusque scientiis infinita quadam ratione eminent sa crosancta Theologia; quæ quicquid gloriæ & perfectionis habent disciplinæ omnes hu manæ & naturales, id totum; vt aureus nummus viliores monetas, sua amplitudine capit & complectitur, dum & res diuiniores con templatur, & certius subtiliusq; demonstrat: cùm rerum simpliciorum, immaterialium, & æternarum, quas illa persequitur, demonstratio per se certior sit & accuratior. Sed Theologia duplex est: Christiana vna & supernaturalis, quæ fidei mysteria pertractat, & de Deo, rebusque diuinis agit, vt per reuelationem hominibus innotuerunt: Peripatetica altera & naturalis, quam ethnici etiâ Philosophi, sed Plato præsentim & Aristoteles, solo naturæ lumine illustrati tradi derunt: cùm de rebus incorporeis & à mate

**D**ria, re & ratione, vt scholæ loquuntur, abstractis, philosophati sunt. Harum enim rerum scientiam quæ sine materia subsistunt, vocanturq; ideo substantiaz separataz, Theologiam appellant, quod ea in cognitione Dei Opt. Max. qui inter separatas & spiritalis substanzias tenet principatū, maximè occuperet & elaboret. Tametsi enim ens ut ens est, huius naturalis Theologiaz objectum totale & adæquatum meritò statuatur; principale tamen, à quo nomen habet, Deus est; de quo pauca licet dixerit Aristoteles, (præ clara tamen ea sunt & admiranda, ac penè semper vera;) vel eo nomine dignus excusa-

*Iris diffusa est admiratio filia. scie & scientia ex admiratione nasa dictur i. c. l. z. Metaph.*

tione & venia Philosophus, si in uno aut altero lapsus fuerit: immo vero eterna laude celebrandus, quod in tot tantisque superstitionis ethicae tenebris & erroribus, inter tot delirantium veterum tam ridiculas falsasq; opiniones ille unus quasi sapientiae Aquila, ceteris longe perspicacior diuinitatis Solem unum, spiritalem, infinitum, aeternum, immutabile, indivisiblem, mundi totius Mechanici, primum motorem sapientissimum, beatissimum, optimum, maximum, viderit, agnoverit, demonstrauerit: ut ex septimo & octavo Physicen & duodecimo, vulgo nobis decimo quarto,  $\tau\mu\mu\tau\pi\sigma\eta\mu$ , aperte comprehenditur, aliisque pluribus locis. Relicta igitur supernaturali Theologia, quae ex scripturis sacris, sanctisque Ecclesiæ Patribus eruitur, & Philosophiam transcendit, Peripateticam, ut ab Aristotele tradita est, perstringere aggredimur. Quæ 6. & 11. Metaphys. Theologia nominatur, & c. 2. l. i. sapientia, alibi prima Philosophia, scientia uniuersalis, prudentia, aliarum domina & princeps, vulgo autem Metaphysica: quod nomen licet Aristoteles nunquam usurpat, ab interpretibus, Alexandro Aphrodisensi, & Joanne Philopono inuentum fuit, & ex inscriptione Graeca,  $\tau\mu\mu\tau\pi\sigma\eta\mu$ , confitum. Cuius inscriptionis haec ratio est, quod in hoc opere ea tractentur, quorum theoria posterior est Doctrinâ naturali, saltem quoad nos; qui à corporum cognitione, rerumque caducarum, in substantiarum immaterialium atque immortalium contemplationem prouehimur. Quamquam & hinc Physica & Logica multa permiscentur. Sed institutum Aristotelis est earum rerum cognitionem explicare, quæ nec ex materia compositæ sunt, nec in ea existunt, ut sunt substantiae separatae, sive intelligentiae, quarum princeps est Deus; & communissimum attributorum, ut entis, unius, veri, principij, causæ, totius, partis, necessarij, contingentis, eiusdem, diuersi, substantiae, accidentis, & similium, quæ rebus omnibus vel absolute, vel disjunctim conueniunt. Ex

*Obiectum Metaphysicae.*

quo patet non genus quoddam entis hoc opere, (ut in aliis scientiis,) considerari, sed ens ut ens est, quod suo significatu omnia complectitur, quæ hinc generatim & secundum communia attributa spectantur. De rebus enim secundum proprias earum essentias agere, scientiarum est aliarum, quæ non sunt uniuersales, ut est Metaphysica. Nisi forte propriæ rerum rationes & essentiæ à materia sint separatae. Sic enim de Dei & Angelorum propria natura dissentit ex professo Metaphysica, quia natura spiritualium à materia est separata. Estque haec speculatio abstractioni Metaphysicæ, id est, modo considerandi Metaphysicæ proprio, conformis. Ut etiam Physica abstrahit à materia singulare,

A & in sensibili occupatur, Mathematica autem à sensibili abstractit, & in intelligibili, id est, quantitate à materia per cogitationem abstracta versatur: sic Metaphysica ab omni materia abstractit; à singulari quidem, quia res singulares materiales non cadunt sub ullam scientiam; à sensibili, quia res naturales sensu subiectas non considerat, sed Physica; ab intelligibili, id est, quantitate, siue continua, siue discreta, quia eam sola considerat Mathematica. Vnde & re & ratione abstractere dicitur Metaphysica à materia:

*De metaphysica sensibili, mobili, & intelligibili agit Aristot. c. 10 & 11. si. 7. Metaph.*

B Quia quod Metaphysica speculatur, id non tantum materiæ expers esse oportet, sed nullam in suo conceptu relationem, ordinem ad materiam necessariò debet includere. Est igitur Metaphysica, Scientia omnium præstantissima, verèque sapientia, entis ut ens est rerumque diuinarum ac spiritualium contemplatrix.

### Ordo partitioque noua librorum Metaphysicorum.

C Ertant interpretes de numero & serie librorum Metaphysicorum. Faciunt enim ali, duodecim, ut Aphrodisiensis, & D. Thomas, qui ideo in duodecim tantum scripsere commentarios, aliosq; tanquam suppositios reliquerunt, Theologiam Aristotelis libri duodecimi fine absolutam esse arbitrati; ubi Dei unitas concluditur, & principum multitudo condemnatur. Alij ferè omnes, quatuordecim recensent, ea serie & ordine digestos, ut duodecim illis prioribus, duos addant annexantque: in quibus de entibus Mathematicis, de Ideis, & numeris agitur. Ego vero ut liberè dicam quod sentio, quatuordecim quidem Metaphysicorum libros agnosco, atque adeò non esse duos illos posteriores spurios, vel ab hoc opere rejiciendos, cum non modò sint Aristotelis, ut ratio doctrinæ, stylusque clarè demonstrat, sed & Metaphysici instituti: quippe qui de Ideis, entibusque Mathematicis sint, ut principia rerum à Pythagoreis & Platonicis constituebantur; sed eorum librorum seriem ordinemque vel temporum iriuria, vel interpretum incuria mutatum esse ac miserè perturbatum facile adducor ut credam; vnde secuta profecto fuerit ea doctrinæ obscuritas, confusio ac penè mutilatio, quam docti viri & notæ melioris hactenus hoc in opere iure accusarunt. Quamquam enim duo isti qui posteriores vulgo habentur libri, scilicet 13. & 14. doctrinam per se bonam & præclaram continent, si tamen idoneo loco, suoque ordine minimè sint dispositi, parient profecto cum obscuritate fastidium. Quod peperisse hactenus etiam peritioribus ac melioribus Peripateticis mirum esse debet nemini,

cum cum, quem reposcunt, quemque ipsis suis aucto<sup>rum</sup> paren<sup>ti</sup>que Aristoteles tribuit, locum ordinemque non teneant. Duo igitur illi libri 13. & 14. qui haec tenus posteriores habiti sunt, & de Ideis ac numeris agunt, sic disponi nostro iudicio debent, ut ante eum qui vulgo vnde<sup>m</sup> decimus statuitur, reponantur; ita ut qui decimus tertius erat, sit nunc vnde<sup>m</sup> decimus; qui decimus quartus erat, sit nunc duo-decimus; & vice versa, qui erat vnde<sup>m</sup> decimus, sit nunc decimus tertius; & qui duodecimus erat, sit nunc decimus quartus, ac postremus. Sic enim præclarè sapienterque Theologiam suam, ut solet omnia, concludet Aristoteles, commonstrato mundi naturæque ordine, & primi optimique rerum omnium principij, Dei scilicet Opt. Max. (in quo cōsistere ac desinere oportebat,) vnitate confirmata. His enim de diuina mente, primaq; illa æterna, ac immobili, quam tanto studio requirebat, substantia, ex proprio sensu expositis ac determinatis, nihil opus est de entibus Mathematicis, de numeris, ideisve quidquam subjungere, vel odiosas eoq; loco inanes mouere controversias, quæ initio, & ante quæstionis solutionem debuerunt explicari. Si ergo duo isti libri eo ordine quæ nunc statuimus, reponantur; & qui xii. erat, fiat xi. & qui erat xiv. fiat xii. longè pulchrius omnia cohærebunt, doctrinæq; series & ratio clarius fiet & illustrior. Imò verò id postulare methodum Aristotelis ex eo possum conuincere, quod soleat Arist. in qua uis quæstione proposita, priùs veterum sententias referre; deinde eas examineat, & quod recte ab iis dictum est, accipere; quod malè, refutare: Tum quæ sua sunt exponere, confirmare, tandemq; ex proprio sensu concludere, nihilque addere præterea: at si duo illi libri de Ideis & numeris, essent omnium postremi, ut haec tenus habitis sunt, ordo ille Aristotelicus & insignis peruerteretur. In his enim proponuntur, examinantur, confutanturque sententiæ veterum, penes entia Mathematica, ideas & numeros: quæ non esse rerum principia demonstrat ibidem Aristot. At verò in libro, qui habitus est haec tenus secundum vulgatam seriem xii. propriam de rerum principiis sententiam idem Arist. profert, remque totam postremo concludit absolvitque. Cū ergo absurdum sit & ineptissimum, planeq; ab Arist. methodo alienum, quæstionē proponere & eam exagitare, post eius determinationem: quæstio autem de rerum principiis, & substantia immobili ac æterna proponatur & exagiteetur libris secundum vulgatam seriem xiiii. & xiv. eadem verò determinetur libro secundum vulgatam seriem xii. (cui anteponendum esse eum qui vulgo est xi. nemo dubitat,) profectò sic erūti libri disponendi, ut qui haec tenus fuit xiiii. fiat xi. qui fuit xiv. fiat xii. & contrà, qui fuit

Axi. fiat xii. & qui fuit xiiii. fiat xiv. & postremus. Et hanc quidem nouam seriem omnino esse ex Aristotele, atque adeò veram, facile diligens & studiosus lector obseruabit, si initium lib. qui xiiii. vulgo creditus est, expendet, si etiam libros inter se conferat: videbit enim quædam in xiiii. vulgati ordinis in alium librum rejecta, xii. vulgato explicari. Itemque multa eodem xii. accipi & supponi, ut iam alibi explicata, id est, lib. illo 13. vel 14. Cū enim c. 3. libri ex vulgata serie 13. dixisset Arist. in Mathematicis pulchrum & bonum esse, quia in immobilibus est etiam id cuius gratia, ea de re se in aliis apertiū dictrinæ subjunxit. Quod sanè præstat in 12. serici vulgatæ, qui apud nos & ex rei veritate 14. & postremus est. Denique tres modi non entis accipiuntur in duodecimo vulgato, ut iam explicati in illo 14. c. 2. Sed hæc de nouo ordine quatuor posteriorum librorum sicut adhuc clariora & certiora in progressu nostræ Synopseos. Nunc summas libri cuiusque percurramus. Distribuitur totum Metaphysicæ opus in Præfationem, (quam alij duobus primis libris, imò & tertio contineri censem, cū in huius primo capite, quæ duobus primis exposita erant, appellet Aristoteles, *τὰ προεπιμέλη*, quasi dicentes, premissa, & in eodem 3. lib. distribuat, cæterisque libris distributa persequatur: Alij verò duobus primis capitibus, quibus scilicet sapientiæ, id est, Metaphysicæ, Iaus & commendatio contineatur,) & Tractationem, quæ reliquo opere absolvitur. Itaque in altera parte libri primi exponuntur & refutantur veterum opiniones de causis & principiis. 2. Liber est de veritate, & modo eam inuestigandi. 3. Profert exagitatque varias quæstiones in sequentibus soluendas. 4. Explicat objectum Metaphysicæ, eiusque passiones, & principia communia. 5. Terminos generales ad Metaphysicam propriè pertinentes distinguit, principium, causam, elementum, naturam, necessarium, unum, ens, substantiam, &c. 6. Ens ut ens considerat. 7. De ente agit, eiusq; in categorias diuisione, & præsertim de substantia. 8. De principiis substantiæ materialis. 9. De potentia & actu, vero & falso. 10. De uno & multis, contrariis, specie diuersis. 11. Qui scilicet haec tenus fuit peruerso ordine xiiii. De entibus Mathematicis, ideis, numeris. 12. Qui etiam Ordolibrorū haec tenus fuit xiv. sed nunc nostra opera & animaduersione xii. de iisdē etiam numeris & ideis; nisi quod primò de principiorū contrarietate tangat, & æterna ex elementis cōstare non posse demonstret. 13. Qui antea erat xi. De iis quæ ad sapientiam pertinent, & an sapientia sit scientia una an multiplex? De Physica etiam & Mathematicis, de motu, infinito, ex quibus gradum facit ad substantias separatas. 14. Qui haec tenus fuit xii,

*Metaphysicorum, præclarissime, ut res ipsa docet, resig-  
tūtus.*

## SYNOPSIS ANALYTICA

Primo de substantia, materia & forma, deinde de principe substantia, Deo scilicet Optimo, Maximo, in cuius unitate feliciter opus totum claudit, & quasi diuino quodam sigillo obsignat. Quae omnia aequum est pro sua dignitate stylo diligentiore, & veterioribus scholiis illustrare.

## Libri primi caput primum.

**D**ecem alij capita distiguunt, alij sex, nos septem. Quorum primo, cognitionis humanae que per artem scientiamque comparatur, principia & origines explicantur. Tum statuitur, Metaphysicam, quae sapientia dicitur, esse scientiam circa causas quasdam & principia occupatam. Est vero diuini huius operis exordium ab excellenti pronuntiato petitum, quod videlicet omnes homines scire desiderent natura. Si enim hoc verum est, ut est profecto verissimum, erit ingens apud homines sapientiae desiderium, quae scientiarum est perfectissima: at hoc ipsum esse verum testatur sensuum amor. Si enim sensus amamus, quia per eos cognoscimus, certe multo magis scientias appetemus, per quas longe perfectius cognoscimus, quam per sensus. At amari sensus constat: hinc enim visum & oculos habemus aliis sensibus cariores, quia per visum plura cognoscimus. Vix enim quidquam est in rerum natura, quod acies oculorum non percipiat. Sed ex cognitione sensitiva non sit memoria in omnibus animalibus. Vnde fit ut alia prudentiora, alia vero dociliora, *μαθηματικά*. Prudentia quidem, id est, per naturalem instinctum sagacia; quae cum docilia non sint, sonos audiunt, ut apes. Docilia vero & disciplinae capacia, quae auditum habent & memoriam. Animalium ergo alia viuunt imaginatione & memoria, ut bruta; quae his facultatibus ideo viuere dicuntur, quod nihil iis habeant perfectius. Numquid enim per id vivere dicitur quod in eo est praestantissimum: alia autem ut homines, arte viuunt & ratione, & ratiocinationibus: & in his sit experientia ex memoria. Multae enim recordationes eiusdem rei, faciunt experientiam; qua ars & scientia oritur, hominum propria, *η μέμνεσία τρέχουσαν οὐρανού, η δ' ανθειανή λόγων*, Experientia enim artem fecit, ut dixit Polus apud Platonem in Gorgia; inexperientia vero fortunam & temeritatem. Atque ut experientia sit ex multis eiusdem rei recordationibus, sic Ars ex multis cognitionibus & observationibus experimentalibus, dum scilicet ex his vniuersalis quedam, vnaque sit de similibus existimatio. Quod illustrare licet exemplo medico. Nam cognoscere & existimare huic homini, putat Calliae, tali morbo laboranti, hoc remedium profuisse, item Socrati, aliisque singulis, experientiae est; prodesse tamen

*visus caris  
simus, quia  
declarat  
plurima.*

*Ex memo-  
ria est expe-  
riencia, ex  
hac ars.*

Absolutè omnibus eadem morbi specie laborantibus, ut pituitosis, biliosis, aut causo, id est, febre ardente, laborantibus, hoc iam artis est. Experientia enim singularium est; Ars vniuersalium. Hinc experientia freti sanguinis obtinent quod intendunt, aguntque felicius quam qui sola ratione arteve nituntur, quia experientia tota est addicta actionibus. *Εργάται οἱ φίλοι τοῦ άριστού* *οὐδὲν τὸ μέντον* *οὐδὲν τὸ πάθον* *οὐδὲν τὸ συντελέαν*. Quae omnes sunt circa singularia: non enim medicus hominem in vniuersum curat, sed Calliam, id est, hunc vel illum in particula: vnde si medicus quid particulare ignorat, facilè à scopo sanitatis aberrabit; licet alioqui doctus sit, & vniuersalia Artis documenta probè teneat: Nempe quia sanatio est rei sanabilis, quae est quid singulare. Sed ipsum scire magis conuenit Arti quam Experientiæ. Vnde sicut hæc in agendo, sic illa in sciendo & contemplando excellit; & eos qui artium sunt periti, sapientiores existimamus iis qui experientiam solam habent. ac si ob scientiam sapientes denominentur. Cuius rei ratio est, quod qui artem scientiam ve- tenet, causam sciat; qui vero tantum exper- tus est, nesciat. Hic enim cognoscit quidem, *πότεν*, quod res est, nescit autem *πότιστον*, propter quid, siue causam: at ille causam nouit. Hinc architecti sapientiores habentur opificibus, *Χειροτεχνῶν*, quia hi sine cognitione causa operantur, at illi causas tenent. Scientis autem signum est posse docere, quia causas tenet: opifices vero docere non possunt, pos- sunt *αρχέτυπον*. Et sapientiam quidem versari maximè circa cognitionem, neque per se ad usum & actionem referri, hinc constat, quod cum plures olim artes inuenirentur, qua- rum aliæ ad res vitæ necessarias, aliæ, *πολεμικὰ*, ad melius degendam vitam pertinebant, iij semper inuentores sapientiores crederen- tur, quorum scientiæ ad usum non referen- tur, sed ad nudam veritatis causarumque cognitionem. Atque hinc factum esse, ut post inuentas artes necessarias & voluntarias, scientiæ illæ contemplatrices quae ad profanos usus non referuntur, inuentæ sint, iisque in locis, vbi licebat otiani, ut in Ægypto, vbi sacerdotes Mathematicarum inuentores ex legis indulgentia otianiabantur. Sed sermo iste E omnis è spectat, ut constet sapientiam oc- cupari in cognitione primarum causarum & principiorum, etiam ex communione omnium sententia: cum ab omnibus sapientior iudi- cetur expertus, eo qui solum habet sensum; artifex, experto; architectus, opifice; theo- reticus practico. Insigne hanc gradationem obserua, lector curiose, & ex ea intellige, sa- pentiam à sensu dependere, præsertim ab auditu, qui disciplinæ sensus id est ab Arist. dictus est. c. i. l. de sensu & sensili, & qui hoc loco cum memoria requiri dicitur ad disciplinam, id est, ut ex alio discamus, audiendo. Nam visus licet per se plura manifestet,

*Sapientior  
Architectus  
opifice.*

dicaturque id est sensus inuentionis; perac-  
cidens tamen, id est, ratione sermonum si-  
gnificantium, qui à vocibus dependent; au-  
ditus omnia quæ sunt, percipit, visumq; su-  
perat. Qua de re dixi in meis notationibus  
ad c. i. l. de sensu & sensibili. Cæterū de otio  
& vacatione sacerdotum Ægyptiorum le-  
gendus D. Augustinus lib. 18. de ciuitate  
Dei, cap. 39.

## Ad Caput secundum.

**V**T constet quorum principiorū & cau-  
sarum sit sapientia, sex sapientis tituli  
proponuntur. 1. Sapientem omnia scire, &  
quantum fieri potest, & vniuersim,  
non singulatim. 2. Scire ardua & difficilia.  
3. Scire certissimè & accuratissimè. 4. Posse  
optimè docere, & causas rerum explicare.  
5. Eam tenere scientiam quæ sui gratia, id  
est, ob solam theoriam, expertitur, non ob  
quidpiam aliud. 6. Esse principem inter cæ-  
teros, ita ut iis præsit & imperet, alij verò arti-  
fices illius præcepta sequantur. Statuitur  
postea, Metaphysicam vel Methaphysicum,  
id est, eum qui maximè prædictus est scientia  
vniuersali, his notis titulisque refulgere.  
Quippe qui sciat omnia quodāmodo, id est,  
generatim; & vniuersalia, quæ difficillima  
sunt, quia longè à sensu distat, sciat accura-  
tissimè; quia circa prima versatur & simplici-  
ora & posteriora: aptissimus sit ad docēdū, quia  
tenet causas: ea scientia sit instructus, quæ in  
re scitu dignissima & maximè scibili occupa-  
tur. Quia res dignissimæ scitu, & maximè  
scibiles, sunt 1. causæ, & principia prima,  
quorum est Metaphysica. Denique princi-  
patum teneat inter alios: quia scientia cuius  
est compos, sit architectonica & aliarū prin-  
ceps: cùm in Theoria primarum causarum  
summiq; finis, optimi ac præstantissimi ver-  
setur. Artes enim artificesque qui circa supe-  
riores fines versantur, imperant iis qui in in-  
teriorib. occupantur. Est ergo scientiæ hæc,  
sapientia, primorum principiorum & causa-  
rum contemplatrix. Neque enim Poëtica si-  
ue effectrix esse potest: cùm inuenta fuerit  
præcedente admiratione, quæ est sciendi  
quædam cupiditas, ex earum causarū igno-  
ratione nata, quarum videntur effectus. Hęc  
enim est contemplatricis præsertim Philo-  
sophiæ origo. Sic videntes primi Astronomi  
deliquia Solis & Lunæ, & causas ignorantes,  
primò admirati sunt, vnde & quomodo hæc  
fierent; itaque sciendi desiderio impulsi,  
causas inuestigarunt; quas cùm didicerunt,  
desierunt admirari, quia scientes facti sunt.  
Cùm igitur eo fine philosophati sint, vt  
ignorantiam abjicerent, & rerum scientiam  
ex causarum notitia consequeretur; dubium  
non est quin scientiam sui gratia, id est, solius  
cōtemplationis, non usus vel utilitatis causa,

Tom. IV.

A persecuti sint. Ex fine ergo inuentionis appa-  
ret, Metaphysicam esse Theoreticam. Quod  
& testatur euentus; cùm post inuentas artes  
necessitatis, & voluptatis, omnesq; quæ ad  
vsum vitæ spectant, illa (quæ hic *effectrix*, pru-  
dentia, per analogiam quandam non pro-  
priè, appellatur: Ut enim prudentia dux est,  
lux, lex, fax virtutum, honestarūmq; actio-  
num; sic Metaphysica Theoreticarum scien-  
tiarum) tandem sineulla utilitatis spe quæsi-  
ta fuerit: hinc eius possessio humana non est,  
sed diuina. Neq; eam homines habere ægrè  
Deus ferre potest, licet ea maximè abundet  
præcellatque, cùm in Deum non cadat inui-  
dia. Stultè enim Simonides dixit relinquendam  
esse illam soli Deo, cùm non deceat ho-  
minem eam relinquere scientiam, quæ sibi  
congruat, id est, menti, qua homo est maxi-  
mè. Ut scriptum est c. 7. & 8. l. 10. Ethic. ad  
Nicom. Si ergo scientia hæc maximè diuina  
est, vt est, erit & *πλεοναστική*, præstantissima; atq;  
vt sic dicam, honorabilissima, cùm honor  
maximis & diuinissimis debeat. At dupli-  
ci nomine diuina est, & quia eam Deus ma-  
ximè habet, qui solus se, omniaque ad hanc  
scientiam pertinentia perfectissimè compre-  
hendit; & quia in diuinis versatur. Sint igit-  
er aliae scientiæ magis necessariæ, hac certè  
nulla melior ac præstantior esse potest. Ut  
verò ab admiratione initium sumpsit, quæ  
causarum est ignoratio, sic in cōtrarium ire,  
ac in eo desinere debet, id est, in causarum  
& principiorum cognitione conquiescere.  
His enim perspectis cessabit admiratio, vt sit  
cùm *τῶν τεωτομάτων*, (id est, eorum quæ sponte  
& perse moueri videntur, vt erant Dædali  
statuæ, vt sunt etiamnum præstigiatorum,  
quos lib. de mundo vocat *τροχόποιοις*, Gallicè,  
*toileurs de marionnettes*, lignei homunculi, de-  
pugnantes, saltitantes,) machinas, libra-  
menta, funiculos deteximus. Nam simul at-  
que causas deprehendimus, amplius non mi-  
ramur, sed quasi contemnere incipimus.

## A Cap. tertio ad septimum, siue finem libri.

**M**ethodus Aristotelis est in omni con-  
trouersia, veterum opinione præmit-  
tere, nec sine causa; cùm facile sit inuentis  
addere. Hoc igitur loco, vbi de causis primis  
agitur, eam obseruat diligenter, dum tertio,  
quarto, quinto, & sexto capitib. primi huius  
libri, Antiquorum sententias de rerum pri-  
mis causis, principiisque recenset: quas se-  
ptimo refellit. Imprimis ergo quatuor ponit  
genera causarum, formam seu rei substan-  
tiæ, quam vocat *τὸ πᾶν λύτην*, quod quid erat  
esse: materiam, efficientem, & finem. De  
quibus copiæ in 2. Physic. Deinde eo ordi-  
ne progreditur in recensendis veterum opi-  
nionibus, vt primò explicet eas quæ materia-  
lē causam adstruxerunt: Secundò, eas quæ

b iii

enīadu  
mūta, 2<sup>a</sup>  
lēta, aupti-  
cō.Quid ad-  
miratio.Ex admira-  
tione orta  
sunt sciētia.QHATHOR  
generacan-  
sationis

efficientem: Tertio, eas quæ formalem: De finali verò nullas referat, cuius veterum nemo apertè meminit. Alij ergo aquam principium fecerè rerum omnium, vt Thales

Varia veterum opiniones de principiis Milesius: alia aërem, vt Anaximenes, Diogenes Apolloniates: alij ignem, vt Hippalus, Heraclitus: alij quatuor elementa, vt Empedocles.

Sed à materiali causa adducti fuere veteres ad perquirendam efficiunt item: cùm nihil seipsum faciat: licet utramque non exactè pertractarint, sed αὐτὸν τὸν οὐκεντρὸν τὸν αὐτούς τοις μηχαναῖς οἱ ἀρχαὶ τοῖσιν, ut in preliis inexercitari faciunt. Dixerunt verò Pythagorici numeros esse rerum principia, quia sunt natura rebus corporeis omnibus priores. Itaque omnia ad par & impar, quæ numerorum principia sunt, referre voluerunt. Quāquam horum nonnulli decem principiorum fecerè αὐτής, siue coniugationes. Prima est finitum, infinitum. Secunda, impar, par. Tertia, vnum, multitudo. Quarta, dextrum, sinistrum. Quinta, mas, fœmina. Sexta, quietens, motum. Septima, rectum, obliquum. Octaua, lumen, tenebrae. Nona, bonum, malum. Decima, quadratum, altera parte longius. Et Pythagoricorum quidem doctrinam secutus est in multis Plato, sed Ideas præterea confinxit propter scientias, quas quidem Ideas formas esse dicebat, speciesque æternas, secundum se & prorsus immutabiles, quæ à singularibus tamen participarentur. Ut esset, v. g. Idea naturæ humanæ à singulis hominibus participata: quarum idearum cùm putauerit Plato magnum, paruum & unitatem esse principia, illa quidem duo, materiae; hanc, formæ respondentia; putauit idem eadem tria esse omnium rerum principia. Sed i) omnes, πάλαις αἱ μάρτυρες, multis modis peccant. Qui enī vnum materiale principium totius vniuersi posuere; in eo errant, quod corporum duntaxat, non rerum incorporearum, quæ tamen extant in rerum natura, principia statuant. Nam corporeum non potest esse rei incorporæ principium. Item quod causam unde motus, nempe efficientem, supina nimis negligenterint. At Pythagorici male numeros ponunt rerum principia, cùm numeri nullius motus & actionis, siue finiti illi sint, siue infiniti; pares siue impares, possint esse causæ. Denique Plato perperam ideas induxit; atque adeò tria earum, rerumque omnium supra dicta principia. Quia nihil conferunt ideae rebus sensibilibus, siue ad motum, siue ad scientiam, siue ad esse. Non ad motum, vt ipse Plato voluit, qui ideas esse quietis gratia & immobilitatis arbitratus est: non ad scientiam, nec ad esse. Quia ex ideis confusio & difficultas maior existit. Et quia ideae non sunt in sensibilibus, vt earum interna principia. Dicere autem ideas esse ταῦτα διηγηματα, exemplaria rerum, quæ ab agen-

Decem in qua principiorū.

Refutantur veterum opiniones.

Ideas nihil conferunt ad motum, nec ad scientiam.

A tibus respiciantur, vt ad eorum imitationem res sensibiles siant; κενολογεῖν οὐτοί, καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικὲς, nūgari est, & metaphoras poēticas consecrari. Nullum enim agens naturale cùm agit, ad ideas respicit, eo fine vt ad earum similitudinem producat affectum. Sint enim, non sint ideae, potest certè quiduis simile ideae fieri, licet ad illius imaginem non exprimatur: vt contingit fieri hominem Socrati similem, siue Socrates existat, siue non, & licet pater eum non generet imitatione Socratis: inanes ergo sunt ideae, siue vt exemplaria sumantur, siue vt principia essentialia rerum sensibilium. Cùm enim sint ab iis separatae, non possunt esse essentialia earum principia. Essentialiae enim non separantur à rebus quarum sunt essentialiae.

Idea nulla.

### Liber secundus Metaphysicorum.

**V**Idetur hic liber Græcis interpretibus appendix quædam primi libri, quia admodum breuis est; ideoq; inscribitur vulgo ἀλφα τὸ έλαττον, primus minor, potius quām integer secundus. Habet verò partes tres, capitata totidem, quorum argumenta sigillatim exponenda.

### Ad Caput primum.

**P**rima est libri pars, qua docetur, cognitionem veritatis esse partim difficilem; quia nemo eam pro dignitate consequi potest; & reuera singuli è priscis sapientibus scorsim accipiuntur, vel nihil, vel parum Veritas pars timis difficilis, pars partim facilis. D eam tetigere: partim facilem, quia nemo penitus ab ea deflexit, itavt nullam eius particulam attigerit. Et licet singuli pauca dixerint, omnes tamen collectiè sumpti, de ea satis multa tradiderunt. Sed causa difficultatis, non tam in rebus cognitis est, quām in nobis. Ut enim se habent oculi vespertilionū ad lumen diei; sic mens nostra ad res natura & per se notissimas: quales sunt substantiae immateriales & æternæ. Habenda gratia primis artium auctoribus, licet rudioribus, nec reprehendendi qui pauca dixerint. Hoc fortè didicit Aristoteles ex initio lib. de diæta, Hippocratis. Est Philosophia, id est, Metaphysica, scientia veritatis contemplatrix. Contemplatrix enim finis, veritas; practicæ, opus. Propter quod vnum quodque tale & illud magis: sic ignis est magis calidus, quia propter vel per ipsum, alia vt aqua, lignum, calida sunt. Ergo id erit verissimum quod posteriorib. causa est vt sint vera. Atq; adeo principia eorum quæ æterna sunt, erunt semper verissima. Quare vt vnumquodque habet esse, ita & verum est. Proprietas igitur entis est veritas. Hinc quod est summè ens, vt Deus, est etiam summè verum.

Dicatio Philosophia.

Idem c. 2. l. 1.

posterior. Analy.

## Ad Caput secundum.

A

## Ad Caput tertium.

**S**ecunda pars est libri, quā docetur non datur progressum in infinitum in causis: Sed esse primas quasdam & ultimas causas; tam *τὸν τελευταῖον*, secundūm progressionem rectam, id est, in quois genere causæ; quām *τὸν τελευταῖον*, secundūm speciem, id est, in diuersis generibus causarum; ita ut non sint causæ efficientes. v. g. numero infinitæ; nec sint etiam genera causarum infinita. Enimvero si daretur infinita multitudo in causis efficientibus. v. g. sumpto initio ab ea quæ cum effectu immediate cohæret, diciturque ultima; sequeretur omnes causas superiores esse medias; non enim essent primæ, nec ultimæ: quia infra illas esset ultima, & supra quamlibet earum esset semper una superior; iam vero si essent mediae omnes, nulla esset prima; quod si nulla esset prima, nulla omnino esset, ne ipsa quidem ultima, quæ cum effectu proximè cohæret. Ergo si esset infinita causarum multitudo, nulla esset. quod falsum. Nullam vero causam esse, si prima non sit, patet: quia prima sola & propriè causa est, cùm sine prima, cæteræ nihil efficiant, atque ab ea omnino dependeant in causando. Itavt hæc sine illa non sint causæ. Neque vero datur progressus in infinitum causis materialibus; quia in generationibus datur reflexio, siue redditus ad eandem specie materiali; ut cùm ex aëre fit aqua, ex aqua aër, fit semper regressus ad eandem specie materiali: at ubi datur regressus ad eandem speciem, non datur progressus infinitus. Non datur etiam infinitudo in causis finalibus, quia est unus finis ultimus, vel non. Si est, habetur intentum; si non est, nullus planè erit finis: Sublato enim ultimo, cæteri tolluntur; cùm par sit ratio finis ultimi ad reliquos, quæ causæ efficientis primæ ad cæteras efficientes; quod si non esset finis ultimus, nemo agere quicquam aggredieretur. Actio enim sit ob finem cognitum ab iis quæ intellectum habent. Neque etiam datur infinitudo in causis formalibus, & essentialibus attributis. Si enim non datur una prima quidditas, definitio, essentia, forma, quæ sit maximè essendi causa, & à qua aliæ pendant, omnes inferiores corruent. Deinde tolleretur scientia. Infinitæ enim formæ non possunt comprehendendi, quia semper aliqua restaret intelligenda. Ex his ergo apparet non esse causas, in eodem genere, quodcumque sit, infinitas. Quod si ita est, multo minus erunt genera causarum infinita: cùm infinitudo generum diuersorum, scientiæ magis repugnet, quām infinitudo individuum, vel diuersarum specierum eiusdem generis.

**T**ertia pars est, qua discendi ratio, & modus veritatis inuestigandæ explicatur, quem ante scientiam tenere oportet; cùm absurdum sit simul scientiam & sciendi modum methodumve querere. Ex hoc loco colligunt interpretes, Dialecticam, quæ modos formulasque sciendi tradit, ante alias scientias esse perdiscendam. Rationes autem discendi, quæ h̄c dicuntur *ἀπόστολος*, quia discimus audiendo, consuetudinem sequuntur. Ut enim consuevimus, sic rem censemus exponendam. Vnde quidam per fabulas facile instituuntur, quia iis sunt assueti: alij per Mathematicam methodum, alij per exempla prout assueuerē. Alioqui quæ præter consuetudinem dicentur, obscuriora videbuntur. Tò γράμματι πρωτεύεται. *Consuetum enim notius est.*

## Liber tertius Metaphysicorum.

C

**C**ontinet capita sex, quibus dubia, siue quæstiones sexdecim proponuntur, & in utramque partem discutiuntur. Orditur autem Aristoteles ab insigni eoque generali *Quid sit* documento, quod scilicet, in qualibet quæstione & controversia oporteat priùs bene dubitare, id est, pro utraque parte affirmante scilicet & negante, rationes diligenter examinando quæstionem ambiguam facere. Dubitatio enim est veluti nodus ad vinculum mentis: quod ideo si ignoras, non solues.

**D**Nemo enim vinculum soluere potest, si illud ignores. Deinde post dubitationes bene expositas, quæstionem claram concludere. Certa enim cognitione quæ dubitationem sequitur, est solutio dubitationis. Prima igitur *ἀποστολα*, est sit-ne unius scientiæ, an plurimum, causas contemplari. Secunda, an ad hanc scientiam pertineant sola simplicia, primæq; substantiæ principia; an vero etiam complexa, siue axiomata. Tertia, an una scientia de omnib. substantiis differat. Quarta, sit-ne substantia quædam præter sensibilem. Has quæstiones & duodecim alias in textu non obscuras, proponit primò. Deinde in utramq; partem exagitat. Quod enim ad primam spectat, sic eam discutit ut priùs probet, Non esse eiusdem scientiæ agere de omnibus causarum generibus. Primò, quia non contrariantur Secundò, quia deberet id præstare scientia omnium accuratissima, quæ Mathematica est. At hæc non tractat causam efficientem nec finalem, cùm tota sit in immobilibus, à quibus abest efficientia & finis, bonique ratio. Vbi enim finis, ibi actio; vbi actio, ibi motus. Non est autem motus in entibus Mathematicis. Atque

*Discutit  
prima.*

ideo Mathematicas contemnebat, περιηγήσανται οἱ μαθηματικοὶ A  
ꝝ, Aristippus Cyrenaicæ sectæ princeps, (quem scribit Laertius primum è Socratis auditoribus, exegisse à discipulis mercedem,) quod nullam boni malique rationem haberent. Sed esse eiusdem scientiæ, causarum genera omnia cognoscere, ex eo postea concludit, quod si aliæ causæ ad alias scientias pertinerent, non constaret quænam dici

Causarum  
vniuersalium  
cognitionis ad  
Metaphysicæ  
speciem.  
deberet Sapientia sive Metaphysica. Vna enim æquæ sapientia esset, atque altera. Ad vnam ergo, id est, ad Metaphysicam, causæ omnes pertinent; quæ causæ sunt & in vniuersum. Aliæ quæstiones ut non eodem semper ordine, quo propositæ sunt, discutiuntur libro tertio, sic nec eodem ordine sequentibus libris soluuntur; quo disputatæ fuérunt: sed ut res & doctrinæ occasio sese offert. Quod docebit librorum series & doctrinæ progressus. Sed æquum, opinor, erit, quæstiones quæ hoc libro disputantur, enotare, quarum ferè omnium solutiones integræ ex aliis librīs sunt expectandæ. Quinta ergo est, an scientia hæc in sola substantiarum contemplatione versetur, an etiam sit

Catalogus  
quæstionum  
juxta decim  
soluendarū.  
de iis quæ per se conueniunt, acciduntque ipsis substantiis. Sexta, an sit huius scientiæ agere de eodem, diuerso, simili, dissimili, priori, posteriori, &c. Septima, an genera sint rerum principia. Octaua, an præter materiam, aliqua sit per se causa. Nona, an essentia sive quidditas substantiæ materialis differat ab ipso toto, id est, à tota materiali substantia, nec-ne. Decima, an principia formalia & materialia, numero definita sint, an specie. Undecima, sint-ne eadem an diuersa corruptibilem & incorruptibilem principia. Duodecima, an vnum & ens sint ipsæ rerum essentiæ. Decimatertia, an principia sint vniuersalia, an singularia. Decimqua, an principia sint potentia, an actus. Decimaquinta, an principia sint rerum causæ per motum sive mutationem, ut Physici censuerunt, an alio quodam modo, ut sensit Plato, qui res sensibiles esse & fieri dixit per participationem idearum. Decimasexta, & postrema, an entia Mathematica, ut numeri, longitudines, figuræ, puncta, substantiæ sint, nec-ne: &, si substantiæ, an à rebus sensibiliibus separatae sint, an non. Dubitaciones ergo istas exxit sigillatim hoc libro tertio, & nunc pro parte affirmante disputat, nunc pro negante: eo ferè modo reliquas, quo primam de qua diximus. Decisiones vero & solutiones aliis librīs, ut diximus, tradentur pro re nata, & sine lege certi ordinis. Sic enim genio suo liberè indulget Aristoteles, sine vila tamen rerum perturbatione.

## Liber quartus Metaphysicorum.

H Abet octo capita, quorum primo declarat Metaphysicæ objectum, scilicet ens: Secundo, cius partes & proprietates. Reliquis, prima principia quibus in demonstrando utitur.

## Ad Caput primum.

C Vm aliqua extet scientia, quæ ens ut ens est, speculetur, & ea quæ ei per se insunt: illa verò non possit esse vna quæpiam è particularibus, ut sunt Mathematicæ, quia nulla earum, ens ut ens considerat, sed eius particulam, putat numerum, vel magnitudinem, vel corpus sensibile, necesse est esse Metaphysicam: quæ quia omnium est, περιλαμβάνει, vniuersalissima, ens ut ens, tan- est objectum  
Metaphysicæ  
ca. primas causas, quæ ens est, persequitur.

## Ad Caput secundum.

V Niis scientiæ est agere de ente, ut ens est. Licet enim ens multis modis dicatur, diuersaque naturas significet, atq; adeo non sit vnum vnuocè vel παντός, dicitur tamen de quodam ente primùm ac præcipue, (id est, de substantia, quæ vna natura est,) & de aliis entibus, id est, de Accidentibus per attributionem & ordinem ad illud, πάντων & non æquiocè, non figuratè: ita ut quemadmodum se habet sanum ad sanitatem, sic ens ad substantiam; ut enim sanum aliud dicitur, quia conseruat sanitatem, ut deambulatio; aliud, quia eam efficit, ut pharmacum; aliud, quia eius est signum, ut vrina, viuidus color; aliud denique, quia eam recipit continetque, ut animal, quod verè ac propriè sanum est, & respectu cuius alia sana denominantur: sic ens aliud dicitur, quia est substantia; aliud, quia affectio substantiæ; aliud, quia via est sive motus ad substantiam; aliud, quia vel eiusdem sunt corruptiones, priuationes, qualitates, vel effectiva, generativa, vel alio quouis modo ad substantiam pertinent. Quare licet ens multipliciter dicatur, quia tamen dicitur de multis in ordine ad vnum principium, nempe substantiam: ita ut cætera entia quodammodo eadem ratione conueniat, licet non simpliciter, sed per communem quandam attributionem ad substantiam, (quæ conuenientia dicitur analogia attributionis, περιηγήσανται πάντα φύσις ἡ αρχὴ) censetur ens sic sumptum, vnum, vnitate, non quidem synonyma, qualis est in animali comparato cum homine & bruto; sed analogica, qualis est in sano cum omnibus iis quæ sana denominantur,

Ense est an-  
logum.

minantur, comparato. Quæ vñitas cùm satis sit, vt de ente, prout ens est, scientia vna sit; (hoc enim liquet de sano, quod etsi tali dumtaxat vnitate sit vnum, & de omnibus sanis analogicè dicatur, id tamen non obstat quominus omnia sana ad vnam Medicinæ scientiam spectent;) meritò statuitur vnius scientiæ esse, de ente vt ens est, agere. Hinc patet solutio quæstionis quintæ: versari scilicet hanc scientiam circa omnia entia vt entia sunt, licet ens, vt substantiam & accidentia, modosque complectitur, sit tantum analo-

*Metaphysica est præcipue de substantia.*

Solutio ter-  
tia.

qua ens est, vt præcipue de substantia agat, quippe quæ sit primum ens, à quo alia dependeant vt sint & denominantur entia. Atque vt objecti sensibilis genere vnius, vnius est sensus, (sic enim omnium visibilium, quæ in vno visibilis genere conueniunt, vnius est videndi sensus) ita totius generis subjecti scibilis vna est scientia: quare, vt Grammatica omnes voces cognoscit, sic vna genere scientia erit circa omnes species entis; singulæ autem species scientiæ, circa singulas species entis. Hinc patet solutio tertiae quæstionis. Ut verò de ente est hæc scientia, sic de vno; quia ens & vnum idem sunt re ipsa, licet non vnius rationis. Hinc tot vnius species, quot entis: quarumquiditatem cognoscere, eiusdem genere est scientiæ, vt agere de eodem, simili, & aliis eiusmodi, atque etiam de oppositis. De omnibus autem sub communione entis agere Philosophi est. In eo enim conueniunt Philosophia, Dialectica, Sophistica, quod agant de omnibus; Philosophia quidem, id est, Metaphysica, necessariis rationibus; Dialectica, probabilibus; Sophistica, apparentibus.

## Ad Caput tertium.

*Agere de substantia ut substantia est, & de communibus principiis: (quæ dicuntur in Mathematicis, Latinè dignitates, quia fide digna sunt:) cùm principia illa consistent terminis cōmunissimis, putà ente, vno, eodem, diuerso, toto, parte, causa, & similibus, quib. omnes scientiæ particulates vntur in proprias materias contractis. Ad Metaphysicam pertinent principia firmissima, certissima, notissima. Quorum illud est primum, Fieri non potest vt idem simul insit & non insit: cùm ad illud omnes retiocentur demonstrationes & opiniones, & impossibile sit eundem arbitrari, idem simul esse & non esse, simul & semel & respectu eiusdem.*

## A Capite quarto ad septimum.

*Difendit Aristoteles tribus his capitibus primi principij suprà expositi firmitatem & veritatem, tam contra proteruos siue per-*

A tinaces qui illud negabant, quām contra rudes & imperitos, quia *sia à rū dīmūtūr*, ignorantem scilicet artis Analyticæ, primum illud ac prorsus indemōstrabile principium, demonstrare frustrè conabantur. Est enim *ā mūtūr*, ruditas, siue ineruditio, nil aliud *ā mūtūr*. quām nescire quārum rerum oporteat querere demonstrationem, & quārum non oporteat. Cui aduersatur *mūtūr*, recta institutio secundūm sciendi modos, docendique formulas. De qua cap. i. li. i. de partib Animal. Non posse ergo primum illud notissimumq; principium demonstrari probat, contra imperitos. Quia non est omnium demonstratio, alioqui daretur in demonstrationibus progressus infinitus, neque vñquam vlla demonstratio absoluere tur, proindeque nulla esset: quod falsum. Si ergo quorundam non sit demonstratio, maximè eorum quæ ita sunt certa & perspicua, vt nulla demonstratione egeant: atqui principium illud primum est eiusmodi. Quamquam licet, redarguendo aduersarium, demonstrare, impossibile esse vt idem respectu eiusdem simul sit & non sit, quod fieri argumento ad hominem, id est, ipsum arguendo ex propriis eius dictis. Si enim nihil dicat, relinquendus est quasi stipes siue planta. Sed talis ad hominem demonstratio, reuera non est demonstratio: non ostensiua, quia non fit ex notioribus, cùm ipso primo principio nihil sit notius: nec duces ad incommodum, quia non deducit ad maius incommodum, quām est illud quod ab aduersario conceditur; nullum enim maius est nec absurdius, quām fateri idem esse & non esse simul. Quare qui primum principium suscepit demonstrandum, peccat in leges Analyticas, inciditque in vitium petitio-*nis principij*, probando idem per idem, vel notius per minus notum. Hinc rectè dixit Theophrastus primi principij demonstracionem esse violentam, ac præter naturam. Agit postea Aristoteles aduersus pertinaces, qui negabant primum principium, vnde cogebantur admittere propositiones contradictorias simul esse vetas, siue, quod idem est, idem esse & non esse simul. Quod esse absurdissimum demonstrat, si modò non sit ambiguitas in terminis, & certa sit ac definita no-*minus significatio*. Alioqui enim homonymia tollit contradictionem. Sic enim certissimum est, hominem uno modo proprioque ac vero sumptum, non posse non esse animal bipes. Quia homo propriè est animal bipes. Alioqui homo propriè, non erit homo propriè, quo nihil falsius, nihil stultius. Et certè si contradictoria simul essent vera, omnia essent vnum & idem: neque esset discriben inter vera & falsa: vtraque enim simul essent vera & simul falsa; si vide-licet idem de re omni affirmare & negare possemus. Ab hac vero absurdissi-

*Non possunt contradic-  
tia esse si-  
mul vera.*

*Sic enim omnia simul essent vera & falsa.*

Error Protagore.

ma opinione natus est Protagoræ Sophistæ error insignis, qui omnia quæ videntur, & quæ apparent, vera esse affirmauit. Si enim ita est, cùm diuersis diuersa & contraria videantur, sequitur omnia simul esse æquè vera & falsa. Fuit autem Protagoras Philosophus ille, quem ait Socrates apud Platonem in Mendne, iuuentutem instituisse per quadraginta annos, magna nominis fama, & pari quæstu. Quòd si quærat Protagoras & eius sc̄tatores, quisnam statui possit iudex veritatis, cùm diuersis diuersa videntur & opposita: respondet Aristoteles, id non minùs absurdum esse, quām si quis iudicem quæteret, qui vigilantes à dormientibus distinguueret. Ut enim hoc per se notum est sensu; ita illud intellectu. Hi ergo mentis morbo ideò laborant, quòd querant rationem eorum quorum non est ratio: cùm non sit demonstratio principij demonstratiui. Vel certè proterui sunt, & ore tenus negant, quod sciunt esse verissimum. Est itaque hoc certissimum, quòd oppositæ enuntiationes non sint simul veræ: & contradic̄tio de eodem simul nequeat esse vera. Vnde sequitur fieri non posse, vt contraria eidem simul insint, saltem perfectè *καὶ ἀτλῶς*, & simpliciter in gradu summo & intensissimo, vt scholæ loquuntur.

*Ad Caput septimum.*

**D**eclarat defenditque veritatem primi principij affirmatiui, quod cum primo illo negatiuo, Impossibile est idem simul esse & non esse, magnam h̄abet affinitatem, licet non æquè latè pateat. Nam negatiuum in omni materia verum est, etiam de futuro contingenti; affirmatiuum autem, quod est eiusmodi, *Necessitatem est quodlibet esse vel non esse*, siue quod eōdem recidit, Necessitatem est quodlibet de quolibet affirmari vel negari, non est verum in materia de futuro contingenti, sumptis videlicet partibus contradictionis determinatè. Neutram enim necessum est, si credimus Aristoteli lib. de interpret. esse determinatè veram, vel falsam, sed indeterminatè tantū. Quare principium hoc affirmatiuum, non est absolutè primum, sed E potius negatiuum. Esse tamen affirmatiuum verissimum, nec dari medium inter contradicentes propositiones, vt nec inter numerum parem & imparem, cùm necesse sit omnem numerum esse parem vel imparem, probat ex veri falsique definitione. Verum enim est dicere, id quod est, esse; aut quod non est, non esse: falsum, contrà: ergo omnis propositione in qua dicitur esse, vel non esse, vera est vel falsa: sed nulla est propositione in qua esse vel non esse, non dicatur. Omnis enim affirmat, vel negat. Ergo nulla propositione est, quæ vera non sit vel falsa,

A atque adeò nullum erit medium. Proferuntur alia rationes, sed hæc est instar omnium. cui addi potest, posse duobus tantum modis responderi ad quæstionem quamlibet non æquiuocam, est, non est. At inter hæc nullum est medium.

*Ad Caput octauum.*

**D**icit eos, qui enuntiationes contradictorias simul veras, & eos qui easdem simul falsas esse sustinent, tollere veri & falsi, itemque motus & quietis discrimen: quo nihil absurdius. Imò & repugnantia sic concedere, vt seipso refutent. Qui enim dicunt omnia esse vera, oppositam propositionem veram esse dicunt, eam scilicet qua dicitur nihil esse verum, vel non omnia esse vera, & sic negant omnia esse vera, atque adeò agunt contra se. Qui verò dicunt omnia esse falsa, ipsi se falsitatis arguunt, si aliquid affirment. Tollit autem motum, si omnia sint vera, patet; quia per motum res mutatur, ergo propositione de priore statu, nunc erit falsa. Tollit etiam quietem, si omnia sint falsa, hinc constat, quod si esset certus rerum status, posset esse de eo certo statu vera quædam propositione: & sic non omnia essent falsa. Non igitur quiescunt omnia, nec mouentur etiam omnia perpetuò. Neque verò omnia interdum mouentur, interdum quiescunt; datur enim in natura rerum primus motor, isque semperturnus, & prorsus immobilis, vt demonstratum est cap. 5. & 6. lib. 8. Physic.

*Liber quintus Metaphysicorum.*

**T**riginta capitulis communissimorum terminorum varias acceptiones modosque multiplices exponit, ac probè distinguit. Quod sanè huius scientiæ, quæ maximè universalis est, proprium censetur officium: Cùm termini illi communes in omnibus scientiis artibusque usurpentur, penèque rebus omnibus, qua entia sunt, conueniant; & licet non admodum sollicitus sit Aristoteles, quem seruet in illa communium terminorum declaratione ordinem, videtur tamen vt cumque naturæ ordinem secutus, qui à natura prioribus incipiat, & in posterioribus desinat. Enim verò differit primum de distinctione principiorum & causarum entis. Deinde de distinctione entis, eiusque partium; denique de distinctione proprietatum siue passionum entis.

*Ad Capite primo ad sextum.*

**E**xpli cat primo cap. principij modos se- Ad cap. 1. ptim. Primus est, quo principium dicitur Septem Modis principij id vnde motus incipit quomodounque. Sig

principium vitæ seu motus, quo ex uno loco in aliud mouemur, dicetur ille locus è quo primò exierimus. Secundus, vnde feliciter incipimus. Sic facilitiora sunt principia doctrinæ. Tertius, ex quo primo insito aliud sit. Quartus, vnde motus, vt causa efficiens. Quintus & sextus iidem ferè sunt cum quarto, cùm efficiendi vi definiantur. Septimus, id vnde res cognoscitur, vt axiomata, definitiones. Ex his principium definitur, id primum, vnde aliquid est, aut sit, aut cognoscitur. Et principia quidem alia esse interna, vt sunt materia & forma; alia externa, vt sunt efficiens, & finis.

*Ad cap. 2.* Cap. 2. Genera & modi causarum explicantur, vt lib. 2. Physicor. cap. 3. alijsq; locis passim, vbi eos exposuimus. Multa enim his libris alibi dicta retexit repetitque Aristoteles, vt in progressu videbitur.

*Ad cap. 3.* Cap. 3. Elementi acceptiones distinguuntur. Elementum aliud est vocis, estque litera vt A, B; aliud corporis, in quod corpora dividuntur, vt in ultima, & specie indivisiibilita: communis acceptio est; quod primum cuique inest. De Elementis dictum lib. de Gener. & Corrupt. de Cœlo.

*Ad cap. 4.* Cap. 4. Naturam sex modis accipi ostenditur: Primò, pro viuentium generatione, & natuitate. Secundò, pro prima parte genita, vt est cor. Tertiò, pro principio interno cuiusque rei, vnde res habet vt moueat per se primò, quo modo definita est natura secundo Physicorum. Quartò, pro materia. Quintò, pro forma. Sextò, pro essentia qualibet. Sed propria acceptio naturæ est pro forma, quia propter hanc materia & generatio dicitur natura.

*Ad cap. 5.* Cap. 5. Necessarium primò dicitur quod non est quidem causa rei, sed sine eo res esse nequit, vt respiratio, cibus ad vitam animallis. Secundò, sine quo bonum non fit, vel malum non pellitur. Sic potio medicatanecessaria est vt morbus arceatur. Tertiò, quod est violentum. Quartò, & propriè quod alter habere non potest. Vt Deum esse hominem, esse animal rationale.

### Ad Caput sextum.

**V**Num dicitur vel per accidens, vel per se: Illud dicitur primò, cùm subjectum & accidens dicuntur vnum, vt Coriscus & Musicum: quia vnum alteri accidit. Secundò, cùm duo accidentia dicuntur vnum, quia eidem subjecto insunt, vt Musicum & iustum sunt vnum; quia simul sunt in Corisco, id est, in uno aliquo homine. Addi posset tertius modus vnius per accidens, quo subjecta diuersa, vnum dicuntur propter vnum accidens, quo affecta sint omnia. Sic Æthiopes dici possunt omnes vnum quid, ratione nigredinis. Vnum per se dicitur primò, ra-

tione continuitatis. Alia autē continua sunt per vinculi continuitatem, vt fasciculus, alia medio glutine, vt mensa; alia per se & natura, vt linea, brachium. Secundò, ratione subiecti forma sensibili non differentis, licet secundum quantitatem sit diuisum; sic omnes fluuij sunt vnum ratione aquæ, omnia vina, vnum, licet quantitate & loco differant. Explicari potest hæc unitas per se ratione materialę secundā. Quæ scilicet forma aliqua sensibili affecta est, ita ut ea dicantur vnum, quorum materia secunda est eadem. Sic plures panes ex eadem farinæ massa dicuntur vnum. Quia eorum, licet diuersi sint, & figura vel coctione differant, eadem tamen est & vna materia secunda, scilicet farina. Tertiò, ea sunt per se vnum, quorum vnum est genus; sic homo, canis, equus, vnum sunt in animali. Quartò, ea sunt per se vnum, quorum eadem est definitio essentialis infima & specifica, ita ut sit indivisibilis in aliam definitionem essentialē specificat. Sic individua vnius infimæ speciei vnum sunt, quæ scilicet eandem definitionem essentialē specificam & ultimam habent. Quintò, ea sunt propriè vnum, quæ re & ratione sunt planè idem, vel quæ numero sunt idem, vt Socrates & Socrates, siue hic homo, hic Philosophus, ostendo eodem. Absolutè autem & in vniuersum quæcunque diuisionem non habent, vt sic, vnum sunt, nempe quia unitas consistit in individuione. Proprium vnius est, esse principium numeri: cuius scilicet sit mensura. Omnis enim prima mensura cuiusque generis, est eius principium. Quia ex mensura prima res primò cognoscitur; id autem vnde res primò cognoscitur, principium est. Cùm enim res primò sit per principium, per illud tanquam per primum habet, vt cognoscatur: quia vnde res primò habet vt sit, vna numero inde primū habet vt cognoscatur. Denique alia sunt vnum numero, vt ea quorum materia vna est & singularis: alia specie, quorum vna est essentia, ratio, definitio. Alia genere, quæ sunt eiusdem categoriarum, siue quorum est eadem prædicationis de primis substantiis, figura & ratio. Alia proportione & similitudine siue analogia, quæ scilicet inter se comparata, eodem modo sese habent, vt oculus, mens. Vt enim se habet oculus corporis ad corpus; sic mens ad animam. Quæcunque autem sunt numero idem & vnum, sunt etiam specie vnum, non contraria. Et quæ specie vnum, etiam genere, non contraria. Quæ denique vnum genere, etiam analogia, non contraria. Tot modis dicitur multiplex siue multa, quot vnum,

### Ad Caput septimum.

**E**ns vel est per accidens: Quod dicitur tribus modis: Primò, cùm duo accidentia

substantię, & vnum accidens dicitur de alio, vt Iustum est Musicum: Secundò, cùm accidens dicitur de subjecto, vt Homo est Mūsicus: Tertiò, cùm subjectum dicitur de accidente, vt Musicum est homo. Vel per se, quod continet Categorias: substantiam, qualitatem, quantitatem, ad aliquid, &c. Et diuisionem aliad in ens actu, & potentia, de qualib. 9.

### Ad Caput octauum.

**D**icitur substantia primò, corpus quodlibet simplex, sensibile, vt terra: imò & compositum, vt animalia, dæmonia. (Responit autem dæmonia inter corpora, ex opinione Platonis, & loco exempli, putauit enim Plato dæmonia esse animalia subtilissimo corpore, & ratione prædita, & immortalia.) Secundò, causa formalis. Sic anima substantia dicitur animalis. Tertiò, principium corporum sensibilium, ex mente Platonis & Pythagoreorum, sic puncta, lineæ, superficies, numeri, dicuntur substantiae corporum sensibilium. Quartò, essentia & quidditas rei. Sic animal rationale dicitur substantia hominis.

### Ad Capite nono ad duodecimum.

**E**xponuntur nono capite modi eiusdem & diuersi, differentium & similium. Idem dicitur vel per accidens, vt ens; vel per se, vt de uno suprà dictum est. Diuersum, contraria. Differentia omnia diuersa, non contraria; dicuntur primò, quæ cùm aliquid idem sint vel numero, vel specie, vel genere, vel analogia, in aliquo tamen differunt, vt Socrates sedens, & alias idem stans, vt Socrates & Plato, vt Socrates & equus; vt ens absolutum & relatum. Secundò, quorum est diuersum genus. Tertiò, differentiae contrariae. Quartò, quæ substantia differunt, vt materia & forma. Similia dicuntur primò, quæ idem passa sunt, vt ruborem ex ira, palorem ex morbo. Secundò, quæ plura eadem quam diuersa habent, vt fratres gemelli in multis similes. Tertiò, quorum qualitas una, vt sunt Æthiopes, uno colore affecti. Quartò, quæ pluribus aut præstantioribus qualitatibus secundum quas sit alteratio, affecta sunt: vt duo vina eiusdem coloris, odoris, saporis, facultatis. Dissimilia autem dicuntur ~~accidentes~~, opposito modo.

**Ad cap. 10.** Notantur quatuor genera oppositorum. Contradicentia scilicet, contraria, relativa, priuatiua. De quibus in Categoriis cap. 10.

**Ad cap. 11.** Modi prioris & posterioris. De quibus etiam c. 12. 1. Categor. Prius autem dicitur vel loco, vel tempore, vel motu, vel potestate, vel ordine, vel cognitione; (prior-

A ritas autem cognitionis, vel est secundum rationem & intellectum, quomodo vniuersalia priora sunt cognitione, singularibus partes toto; passiones priorum, passionibus posteriorum; vel secundum sensum, quo modo singularia priora sunt vniuersalibus; totum, partibus;) vel denique natura, qui modus maximè proprius est, quo nimirum ea dicuntur priora, quæ naturali essendi ordine alia antecedunt, vel, vt aiunt Logici, à quibus ad alia non reciprocatur essendi consequentia, vt vnitas, respectu binarij; animal, respectu hominis; substantia, respectu accidentis.

### Ad Caput duodecimum.

**P**rimum potentie genusest potentia activa, quæ est principium motus, aut mutationis existentis in re diuersa ab ea in qua ipsum est; aut si in eadem existat, non per se in ea sit, sed per accidens. Exemplum principij quod est in re diuersa, ab ea quæ mutatur, est potentia ædificandi: eius autem quod est in eadem, sed non per se, est ars Medicinae; quæ licet aliquando sit in eo qui curatur, ægrotante scilicet, non est tamen in illo protcuratur; cùm accidat ei qui curatur, habere in se principium actuum curationis, nempe medendi artem. Secundum genus est potentia passiva, quæ est principium passuum, secundum quod aliud ab alio pati potest, vt aliud est ab ipso. Tertium, est vis bene agendi. Quartum, vis quælibet, siue habitus, aut forma per quam res planè redduntur immutabiles; aut non facilè mutabiles, vt durities insignis, qualis inesse creditur adamanti, per quam adamus frangi vix potest. Potens dicitur rotidem modis. Impotentia est ~~separata~~ <sup>separata</sup> duæ, priuatio potentie.

### Ad Capite decimotertio ad decimum sextum.

**E**xponitur cap. 13. quantitas, ciusque species, & quæ sint quanta per se, & per accidens. Quantitas siue quantum dicitur id quod diuidi potest in eas partes quibus constat, quarum utraque (si duabus tantum constet) vel singulæ (si pluribus) vnum quid, & hoc aliquid aptæ sint esse, id est, aptæ sint ut designentur extra alias in ipso toto. Quo pacto in binario lapidum designari possunt seorsim vnitates duæ; & in linea duorum pedum, duo pedes. Quantitas duplex, multitudino, quæ diuisibilis est in non continua; & magnitudo, quæ in continua. Magnitudo triplex: linea, siue longitudo; latitudo, siue superficies; profunditas, siue corpus. Per se quanta est linea, per accidens, Musicum.

**Cap. 14.** dicitur quale primò, substantia differentia, vt bipes, quadrupes, animalis. Secundò, rei separata, immobilis, & Ma-

thematis affectio. Tertiò, affectio substantiarum mobilium & Physicarum, ut calor, frigus, & quælibet patibilis qualitas. Quartò, virtus, vitium.

*Ad cap. 15.  
mes. n.* Cap. 15. Dicuntur relata, siue ad aliquid tripliciter, vel, vt duplum ad dimidium; vel, vt calefactuum ad calefactile; vel, vt mensurabile ad mensuram, scibile ad scientiam, sensibile ad sensum. Relata primo modo fundantur in numero vel unitate. Relata secundo modo, in potentia activa vel passiva, vel actionibus. Relata tertio modo, à prioribus differunt, quod priora à suis formis ex utraque parte denominantur, duplum à duplicitate, dimidium à dimidiate, agens ab actione, patiens à passione: Hæc autem licet ita se habeant, vt unum à sua forma denominatur, vt mensura à mensuratione, scientia ab actu sciendi: alterum tamen non denominatur à sua forma, sed à suo correlatio, vt mensurabile à mensura, scibile à scientia, &c. Dicuntur etiam relata per se quorum genera sunt ad aliquid, vt Medicina, ratio scientiæ. Item & ea quæ in relatis per se sunt, vt æqualitas in æquali, similitudo in simili. Alia vero dicuntur relata per accidens, vt homo, album: ille quidem, quia accedit ei vt sit æqualis, vel duplus; hoc, vt sit etiam duplum.

#### A Cap. decimo sexto ad vigesimum quartum.

*Ad cap. 16.  
mes. 10.* Perfectum dicitur cap. 16. tripliciter, quantitate, cum nulla pars debitæ quantitatis deest. Virtute siue excellentia, cum à nullo res in suo genere superatur. Finis consecutione, cum finem, qui semper est optimum quid, obtinet.

*Ad cap. 17.  
mes. 5.* Cap. 17. Terminus dicitur quod est cuiusque rei ultimum. Estque vel quantitatis continua; vel forinæ magnitudinis, siue habentis magnitudinem; vel motus & actionis; vel ipse finis; vel rei quidditas & essentia.

*Ad cap. 18.  
mes. 10.* Cap. 18. Dicitur  $\tau\pi\kappa\delta\mu\sigma$ . secundum quod: Primo formaliter, sic secundum id quod bonum est, putat secundum virtutem, homo dicitur bonus formaliter. Secundum materialiter. Ita ut secundum quod sit id in quo primo res fieri apta est, ut in superficie color. Imo tot modis dicitur secundum quod, quot causa. Per se autem siue secundum sc. Primo, dicitur definitio essentialis integra. Secundum, quod est pars definitionis essentialis. Tertiò, primum rei cuiusque subjectum, ut superficies coloris. Quartò, cuius non est causa. Sic homo per se homo est. Quintò, quod soli inest, ut sic: quo modo separatum à materia, per se est.

*Ad cap. 19.  
mes. 10.* Cap. 19. Dispositio est ordo rei partes habentis, aut secundum locum, aut secundum potentiam, aut secundum speciem.

*Ad c. 20. 21.  
22. 23.* Cap. 20. Modi habitus. 21. Passionis. 22. Tom. IV.

A Priuationis. 23.  $\tau\pi\kappa\delta\mu\sigma$ , habendi, clare satis explicantur in textu. Differt vero  $\xi\zeta\zeta$ , habitus,  $\alpha\pi\tau\pi\kappa\delta\mu\sigma$ , ut textus docet. Propriè  $\xi\zeta\zeta$ , est dispositio bene vel male subjectum afficiens. Habere vero multis dicitur modis, in textu facilibus. De quibus etiam dictum in Categoriis.

#### A Cap. vigesimoquarto ad trigesimum.

*Ad cap. 24.  
mes. 10.* Dicitur unum ex aliquo fieri, cap. 24. ut ex materia, vel prima siue remota, vel secunda & proxima. Secundò, ut ex principio mouente. Tertiò, ut ex toto quodam composito. Sic elementa fiunt per resolutionem ex mixto: Lapidés ex domo. Quartò, ut ex parte species, homo ex bipede, syllaba ex elemento. Quintò, ut ex parte eius ex quo fit, sic proles è semine parentum fit. Sextò, consequenter ratione temporis: sic quæ fiunt post alterum, ex eo fieri dicuntur, ut nox ex die, ex serenitate tempestas, ex Bacchanalibus Thargelia. Hæc enim, quæ festa erant in honorem Apollinis, fiebant Februario mense, illa Ianuario.

*Ad cap. 25.  
mes. 5.* Cap. 25. Pars primò dicitur quantitatitia & integralis, quæ ad quantitatem spectat. Secundò, subjectiva, in quam forma aliqua sine quantitate diuiditur: sic species est pars generis. Tertiò, essentialis Physica, ut materia, forma. Quartò, essentialis Metaphysica. Sic genus est pars speciei, itemque differentia.

*Ad cap. 26.  
mes. 10.* Cap. 26. Totum primò dicitur quod est integrum. Secundò, generatim quod partes unitas habet. Hinc totum aliud vniuersale, quod partes subjectivas continet, ut genus, species; totum integrale, quod partes integrales unitas continet. Et totum esse, quod partes essentiales, siue Physicas, siue Metaphysicas unitas habet. Ratio totius magis conuenit naturalibus quam artificiosis: ut & ratio unius. Naturalia enim composita, sunt magis unum. Alter usurpat omne, aliter totum. Illud enim multitudinem ferre rerum diuisarum significat; hoc autem, unius ex multis constitutionem.

*Ad cap. 27.  
mes. 10.* Cap. 27.  $\kappa\alpha\kappa\delta\mu\sigma$ , mutilum ut quid dicatur, debet esse diuisibile, quia detractione unius partis, fit res mutila. Item post mutilationem, debet permanere, esseque idem secundum substantiam. Tertiò, habere partes certa ratione sitas. Hinc Homogenea, ut aqua, non fiunt mutila; ut nec numeri. Quartò, esse continuum. Sed pars quam ablatâ res fit mutila, debet primo, in re prominere, & quasi explantari, ut brachium, pes: Ita ut non sit de internis præcipuis; & ad vitam necessariis. Secundò, debet non restituiri naturaliter. Alioqui cerui, cum cornua deposuerunt; & calui homines, cum ex morbo capillitum amisere, mutili dicerentur: cornua

etim ceruis, capilli hominibus renascuntur: A  
At sic nec cerui, nec hoisties mutili dicuntur.

*Ad cap. 28.* **Cap. 28.** Genus primò sumitur pro genera-  
tione continua rerum eiusdem speciei, pu-  
tata hominum. Secundò, pro capite siue prin-  
cipio generationis. Tertiò, pro generè sub-  
jecto, ut est superficies respectu figurarum  
plattarum. Quartò, pro eo quod primum est  
naturæ ordine in definitionibus, & in quid  
prædicatur, & cuius differentiæ sint qualita-  
tes, id est, quod immediatè diuiditur per  
differentias quæ faciunt quale quid; quas  
qualitates essentiales vocant. Diversa gene-  
re propriè sunt ea quæ, vel subjectum pri-  
mum diversum habent, si subjectum habent,  
ut cæli, & elementa; vel corruptibile & in-  
corruptibile; (quæ dicuntur diversa genere;  
cap. viii lib. 10. Metaphys. quia constant  
materiâ diversâ, quæ genus Physicum est,  
subjectumque primum;) itavt alterum in al-  
terum non resoluatur, neque utrumque in  
idem: vel quæ ad diuersas spectant catego-  
rias, ut homo, candor. Categoriarum enim nec  
in se mutuò, nec in unum quid resoluuntur,  
unum, inquam, ut commune genus & syno-  
nymum. Alioqui in ens resoluuntur: quod  
tamen analogum est, nec verum genus. Ob-  
serua, curiose lector, ex hoc textu colligi  
duo genera resolutionis; Physicum unum,  
quo corpora naturalia resoluuntur in ea qui-  
bus constant: sic mixta resoluuntur in qua-  
tuor elementa; sic elementa resoluuntur in  
materiam & formam. Metaphysicum alte-  
rum, quo individua in species, species in ge-  
nera resoluuntur. quod sit non realiter, ut in  
mixtis Physicis; sed solâ intellectus opera-  
tione, è multis unum methodo syntheticâ D  
siue compositiva facientis, donec ad sum-  
mum genus peruenierit.

*Ad cap. 29.* **Cap. 29.** Falsum dicitur in rebus, in ora-  
tione, in homine. In rebus tripliciter: pri-  
mò, si nunquam conuenire possunt, vel com-  
poni, ut diametrum esse commensurabilem:  
Secundò, cum res non sunt actu compositæ,  
licet possint componi & simul esse, ut Socrate  
sedere, cum non sedet. Tertiò, cum ap-  
parent res esse, nec sunt reuera, ut colores  
Iridis, simulacrum hominis cuiuspiam: quod  
videri potest ipse verus homo, cum non sit.  
Ratio autem siue oratio falsa est, quæ signi-  
ficat quod non est. Homo deniq; falsus dici-  
etur, qui sectatur falsas orationes prudens,  
sciens; vel aliis auctor est falsitatis & errorū.

*Ad cap. 30.* **Cap. 30.** Accidens dicitur primò, quod  
fortuitum est: ut inuentio thesauri, fodien-  
do. Secundò, quod per se est in unoquoque,  
non tamen ad essentiam pertinet: & hoc  
quidem contingit esse sempiternum, illud  
nunquam. Quod de realibi, id est, in 2. Phy-  
sic. ubi de casu & fortuna. & in lib. 1. poster.  
Analyt. c. 30. ubi docetur non esse scientiam  
fortuitorum.

### Liber sextus Metaphysicorum.

**T**ribus constat capitibus, vel, ut alij vo-  
lunt, duntaxat duobus: quibus pri-  
mum explicatur modus, quo Metaphysica  
de ente agit, eiusque principiis, partibus, &  
proprietatibus. Deinde rejiciuntur ab huius  
scientiæ consideratione entia per accidens,  
& rationis: à consideratione, inquam, prin-  
cipali, & per se. Debent enim entia per ac-  
cidens, & entia Logica, à Metaphysica co-  
gnosci; si non per se, & gratia sui, saltem in  
gratiam entis veri, unius, realis & per se,  
quod maximè ad Metaphysicam pertinet.

### Ad Caput primum.

**S**tatuitur, cæteras scientias de certo en-  
tratis genere pertractare, & circa causas &  
principia quædam versari: Solam vero Me-  
taphysicam de ente, ut ens est, agere. Et  
Physica quidem versatur circa substantiam  
mobilem & materialem: Mathematicæ pu-  
rræ agunt de rebus re ipsa mobilibus, & à ma-  
teria sensibili re inseparabilibus, sed tamen  
ea ratione qua sunt immobiles, & cogitatio-  
ne separatae; vel quod idem est, prout in sui  
consideratione materiam sensibilem non in-  
cludunt. Ut ergo Physica, mobilium & inse-  
parabilium; Mathematica vero, velut im-  
mobilium & separabilium; sic Metaphysica  
est reuera immobilium, & eternorum, separa-  
bilium, & divinorum contemplatrix. Vnde  
Scientia Theoretica triplex, Physica, Ma-  
themistica, Theologica, quæ postrema dici-  
tur etiam θεωρία, ή φιλοσοφία, quia circa  
primam & excellentissimam substantiam  
versatur, eam nempe quæ immobilis est &  
& eterna, immo & circa ens ut ens est, vnde  
Scientiarum universalissima perhibetur.

### Ad Caput secundum.

**P**roponitur entis simpliciter, id est, uni-  
versaliter, accepti tripartita diuisio: In  
ens per accidens & per se, (per se autem in  
E Categories diuiditur,) in ens rationis (quod  
per verum & falsum intelligit) & reale; in  
ens potentia & actu. Deinde statuitur entis  
per accidens non esse scientiam. Nulla enim  
scientia siue factiva sit, siue activa, siue con-  
templatrix, entia per accidens considerat,  
quæ propè sunt infinita. Sic ars ædificandi  
non spectat iucunditatem, molestiam, utili-  
tatem, damnum, & alia quæ accidentiæ ædifi-  
ciis; nec Geometria, ea quæ accidentiæ figu-  
ris, ut quodd lignæ sint vel plumbeæ, dele-  
tabiles, molestæ. Imò ens per accidens est  
entis per  
ferè non ens, non habet causas per se, nec  
per se generatur aut corruptitur: nec sem-  
scientia.

per est, nec ut plurimum, nec necessariò: Scientia autem est de iis quæ vel sunt semper, vel ut plurimum, & quæ veras causas habent per se ac propriè dictas.

## Ad Caput tertium.

**S**TATUITUR PRIMÒ, non dari causas per se centum per accidens. Causæ enim per se, producunt effectus per se, ac necessariò; itaque quicquid fiet, necessariò fiet, nihil per accidens, quod falsum. Sunt igitur entium per accidens, causæ etiam per accidens: quæ hīc dicuntur causæ generabiles & corruptibiles, absque eo quod generentur & corruptantur. Quia generatio & corruptio ad eas per se non terminatur, quā tales sunt, licet absolutè generari & corrupti dicantur, quatenus concurrunt cum causis per se, & cum his miscentur.

STATUITUR SECUNDÒ, illud entis genus: quod quia verum est, ens dicitur, sicuti falsum, non ens; consistere in compositione & divisione cā, quæ permanentem fit, affirmando & negando: ita ut ens illud verum, & ei oppositum falsum, omnino dependeant ab affirmatione & negatione. Verum enim illud tunc est, cūm vel affirmat mens ea coniuncta esse, quæ reuera coniuncta sunt: vel negat esse diuisa, quæ diuisa sunt: falsum autem, cūm contrā. Quare tale verum, & tale falsum, in mente sunt, non in rebus. Neque enim eadem ratio est veri ac boni, falsi ac mali, ita ut sicuti dicimus hoc vel illud esse bonum vel malum in se, & nullā habitā mentis ratione; sic dicamus hoc esse verum vel falsum, in se & nullo spectato ordine ad mentem; nam res bonæ dicuntur, quia vel sunt in se perfectæ, vel alicui rei conuenientes; malæ, quæ contra sine ullo cum mente respectu aut comparatione. At nihil propriè ac simpliciter dicitur esse verum aut falsum, nisi habita ratione mentis affirmantis, vel negantis aliquid de aliquo. Ex quo patet verum & falsum non esse in prima mentis operatione, quæ est apprehensio simplicium & quidditatum, siue cognitio indivisibilium, ex cap. 6. lib. 3. de Anima, sed in secunda, cuius est componere affirmando, & negando diuidere: atque adeò in tertia, quæ argumentatio est, affirmatiuè, vel negatiuè concludens.

STATUITUR TERTIÒ, ens illud verum non esse in hac scientia considerandum, vt neq; ens per accidens. Illud quidem, quia est ens rationis, siue r̄is diuinae nō nādōs, mentis quedam affectio, hoc verò, quia non habet definitam certamque causam. Adde quod neutrum verè & propriè ens est, ab aliis propriè dictis distinctum & separatum, sed cum his & in his spectatum.

STATUITUR QUARTÒ, hīc esse considerandum

A ens propriè sumptum, vt ens est; eiusque principia & causas. Quibus ex verbis inteligi perspicuè potest, Aristotelem hactenus præfari, atque adeò sex superiores libros non immerito posse proœmiales appellari.

## Liber septimus Metaphysicorum.

**H**ABET capita septemdecim, quibus de hente agitur, vt in Categories diuiditur: maximè verò de substantia & definitione.

## Ad Caput primum.

**R**EM aggreditur Aristoteles, & ad Metaphysicum genus subjectum se se tandem accingit, post longissimum apparatus, & præludia illa amplissima sex prioribus libris exposita.

Primo igitur capite, repetitâ divisione entis per se ac realis in prædicamenta, docet <sup>etw. scias</sup>, substantiam esse primum ens, primumque adeò prædicamentum. Primi, <sup>Substantia est primum ens.</sup> quia substantia prædicatur in quid de primo subiecto, quod est suppositum, siue substantia singularis, ut est Socrates. Cætera verò entia, nempe accidentia, non sic, sed in quale, aut quantum. Secundo, quia sola substantia est per se ens; cætera verò entia sunt per ipsam, quatenus scilicet sunt illius affectiones, putâ vel quantitates, vel qualitates, vel passiones. Deinde docet substantiam esse primum ens ratione, cognitione, tempore, & naturâ: Ratione quidem siue definitione, quia cætera nempe accidentia definiuntur per substantiam. Cognitione, quia priùs ac potiùs quæruntur scientiæ de substantia, quā de accidente: Et cognitione accidentis pendet à cognitione substantiæ. Tempore verò, quia datur substantia sine accidentibus, vt Deus; &, vt quidam aiunt, Intelligentiæ, etiam ex sententia Aristotelis; nondantur autem accidentia sine substantia. Item quia substantia etiam materialis, tempore prior est quibusdam saltem accidentibus, iis scilicet quæ ipsi accidentiunt, post exactum aliquod à sua generatione tempus. Naturâ denique, quia subjectum prius est natura eo quod in subiecto inest: ac substantia est subiectum accidentium. Observandum tamen in textu veterum interpretum, vt Aphrodisiensis, non legi, <sup>Observatio circa textum.</sup> natura, & ideo vocabulum hoc forte esse adjectum: præsertim cūm nulla prioritatis naturæ ratio reddatur in textu. Cūm itaque substantia sit prior accidente, natura, ratione, cognitione, tempore, atque omnino primum ens; de ea maximè, imò ferè de sola agendum esse concludit.

## Ad Caput secundum.

**D**OCEST rationem substantiæ relucere maximè in corporibus Physicis, quæ

Substantiæ vocantur, ut & eorum partes. Tum esse quærendum, an sint substantiæ separatae. Putasse nonnullos, terminos corporis, superficiem, lineam, punctum, unitatem, esse substantias: Alios, nihil esse præter sensibilia: Alios, esse ideas æternas. De quibus sit considerandum, postquam ratio substantiæ fuerit descripta.

*Ad Caput tertium.*

**P**onitur primo, quadripartita substantiæ diuisio, Aristotelis tempore recepta. Nam substantia cuiusque rei dicebatur, vel ipsius rei essentia, vel idea speciei sepa-  
rata; quam vocat *τὸν καρπόν*, vniuersale; vel eiusdem rei genus. Vel denique subiectum *ὑποκείμενον*, de quo alia dicuntur, ipsum autem de nullo. Et hoc maximè substantia est. Est enim ipsa singulatis substantia, quæ est basis & fundamentum aliorum omnium: cùm de ea dicantur omnia, & in ea insint, ut constat ex Categoriis. Statuit secundo, subiectum esse triplex, materiam, formam, compositum; & duo hæc esse magis entia, quæ materia: Licet materia sit verè substantia, cùm sit subiectum primum & ultimum, aliis que sublati sunt corporum affectiones, potentiae vel quantitates, ipsa remaneat. Hæc autem materia prima est, quæ per se, neque quid, id est, substantia completa, neque quantum est, neque aliud quodvis prædicamentum. Eius enim esse à quouis prædicamento differt. Quanquam non ideo dicenda est materia, substantia prima. Ad rationem enim substantiæ primæ requiritur, ut sit separabilis, id est, possit sine aliis existere, ac vi sua perfectè subsistere. Item ut sit hoc aliquid, id est, determinata perfectaque substantia, & singulatis: at materia non potest à forma separari; neque est hoc aliquid determinatum. Quare forma & compositum magis sunt substantiæ, quæ materia. Sed materia, quia quoddammodo manifesta est, ex eo scilicet quod omnes eam agnoscant, sitque subiectum mutationis, & potentia ad omnes formas, relinquenda est; ut & compositum, quod materia & forma notius est ac posterius: (nam posteriora natura sunt nobis clariora:) de forma autem, quæ est *ἀνογόνη*, valde dubia, & obscura, agendum. Cùm verò fateantur omnes, esse sensibiles quasdam formas substantiæsve, de his primò dicendum est.

*Ad Caput quartum.*

**S**tatuit esse de formis rerum sensibilium agendum, quatenus formæ nomen sumitur pro quidditate rei, siue natura specifica. Tum esse à notioribus nobis ad notiora natura transeundum, ut dictum est c. i. l. i. Phy-

A sic. Tertiò, Logicè priùs agendum de natura & quidditate rerum: deinde Physicè. Agere autem Logicè est, cùm expenditur quidditas ex legibus definitionis; Physicè, cùm ex disquisitione partium rei, ut materiae & formæ. Quem differendi modum instituet lib. 8. hic enim Logicum sectatur: Ut hoc & sequenti capite examinet quid sit quod quid est, siue quidditas, & quorum. Sexto autem, an quidditas à rebus, quarum est quidditas, sit diuersa. Septimo, octavo, & nono, an requirantur quidditates, formæ ve separatae, B id est, ideae ad generationem rerum sensibilium. Decimo, undecimo, & duodecimo, ex quibusnam ut è partibus, quidditas eiusmodi rerum constituatur. Decimotertio, decimoquarto, decimoquinto & decimosexto an vniuersalia ut talia sunt, earumdem rerum sint quidditates. Tandem decimoseptimo, an quidditas rerum sensibilium habeat rationem principij & causæ earum, nec-ne?

De quidditate ergo statuitur 4. cap. eam esse id quod res ipsa dicitur esse per se, vel id

C quod de ea per se dicitur. Sic verò per se accipiendum, ut subiectum non ponatur in definitione prædicati. Sic enim erit prædicatum de essentia: *Quo* pacto animal & rationale dicuntur de homine: quia homo in neutrius definitione ponitur. Vocatur autem hic quod quid erat esse, & quod quid est, & quidditas, tota communis natura, essentiæque rei, quæ responder definitioni. Vnde propriæ essentia particularis & individua, ut Socratis, non vocatur ab Aristotele quidditas; sed communis & specifica omnium hominum natura. Supponitur postea, substantias compositas & sensibiles quidditatem habere siue propriam definitionem, non entia per accidens, composita scilicet ex subiecto & accidente, ut est homo albus: licet aliquo modo possint entia per accidens describi & explicari. Imò verò possunt accidentia Categorica, quæ sunt vnum per se, & vnius naturæ, habere quidditatem & definitionem, non simpliciter ut substantia, sed suo modo.

*Ad Caput quintum.*

**P**osita distinctione accidentium simplificium, eorum scilicet quæ certo subiecto simplex & non sunt determinata, ut est album, concavum, rectum; & coniunctorum, quæ certo subiecto definita & annexa sunt, ut simum naso; statuit accidentia coniuncta, quæ per attributa rebus definitis extrinseca explicitantur, aut simpliciter definitionem siue quidditatem non habere, aut habere suo modo, ut supradictum est. Imò verò cum accidentia simplicia dici possint coniuncta, si non respectu specialium subiectorum, saltem

tem generalium; quia omne accidens sub-  
iectum requirit: sic enim album, licet non  
hanc vel illam corporis speciem sibi vendi-  
cat, tanquam subiectum; corpus tamen vel  
superficieum absolute requirit, cùm extra  
hæc non existat: certè neque simplicia illa  
accidentia simpliciter definitionem habe-  
bunt, propriam scilicet & accuratam; at-  
que adeo sola substantia quidditatem ac de-  
finitionem habebit, aut maximè primò, &  
simpliciter.

*sola substā-  
tia proprie-  
tate & simili-  
tate habet.*

*Ad Caput sextum.*

**S**TATUIT quidditatem rei non esse idem  
atque rem ipsam, in iis quæ per acci-  
dens dicuntur. Albus enim homo, & esse  
hominis albi, differunt: At in iis quæ per  
se dicuntur, rem eiusque quidditatem non  
esse naturas diuersas, sed planè idem &  
vnum.

*Ad Caput septimum.*

**S**TATUIT primò, ea quæ fiunt, vel naturâ,  
*Quicquid  
fit. natura.  
vel arte. vel  
casu.* vel arte, vel casu fieri: Ab aliquo, id est, C  
ab agente, ex aliquo, id est, ex materia; &  
aliquid, id est, quid determinatum & sin-  
gulare. Quicquid enim fit, singulare est. Se-  
cundò, generationes naturales esse eorum  
quæ naturâ constant; alias verò vocari *mūn-*  
*cēs*, effectiones, quæ vel ab arte, vel à po-  
tentia, vt est vis trahendi corpora, vel à  
mente, id est, ingeniosè, sine habitu ta-  
men, profiscuntur. Tertiò, ea quæ casu  
fiunt, referri ad ea quæ natura aut arte  
fiunt. Multa enim accidentia præter inten-  
tionem agentis, vt monstra, & errores ar-  
tificum: & in natura gignuntur quædam ex  
semine, quædam sine semine, vt mus ex se-  
mine muris, & ex putredine; quamquam  
eadem sunt specie & natura. Quartò, ea  
arte fieri, quorum forma, *et̄s*, idea, in ani-  
ma est: & formam hanc, quæ dicitur exem-  
plar, esse quidditatem, & primam essen-  
tiā substantiam. Quia prior est, natu-  
ræ ordine, formâ eâ quæ ab artifice in ma-  
teriam inducitur; cùm huius illa sit causa,  
& principium formale, quo agens siue ar-  
tifex operatur. Sic enim idea domus, quæ  
hīc dicitur domus sine materia, est causa  
domus materiali habentis. Idea sanitatis  
siue sanitas vt cognita est, causa sanitatis  
realis & veræ. Quintò, impossibile esse  
quicquam fieri è nihilo, sed omnia fieri  
ex præjacente materia, licet nomen ma-  
teriæ non semper retineant: sic statua li-  
gneæ non dicitur lignum, sed statua. A  
forma enim existit potius denominatio.

*Ad Caput octauum.*

**S**TATUIT primò, materiam & formam pro-  
priè non fieri, sed compositum. Secun-  
dum. IV.

**A**d, ideas siue formas separatas nil conferre  
ad generationem rerum naturalium. Neque  
vt causas efficientes, neque vt exemplares.  
Non vt efficientes: quia vniuersalis causa  
(quæ in textu explicatur per globum, per  
domum, per hominem, per animal, abstra-  
cta à singulis & in vniuersum sumpta) non  
potest res singulares, siue hoc aliquid gene-  
rare. Causa enim non plus dat, quām habet:  
at causa vniuersalis & communis, qualis est  
idea Platonica, non est hoc aliquid, vel  
quid definitum & singulare: neque vt exem-  
plares, vel vt exemplaria, quorum scilicet  
imitatione res fiant, quia sufficit realis simi-  
litudo generantis & rei genitæ, quæ semper  
in natura deprehenditur. homo enim ho-  
minem generat, nisi quid præter naturam  
fiat. Cùm ergo ad generationem satis sit,  
quod generans specie idem procreet, ac rea-  
liter efficiat simile, itavt sit causa formæ in  
materia; frustra erunt ideæ vt exemplaria.  
Sed eadē iam dixit capite septimo libri I.  
huius operis.

*Ad Caput nonum.*

**S**TATUIT primò causam, cur quædam &  
arte fiant & casu, vt est sanitas; quædam  
verò sola arte, vt est domus, esse materiam:  
quæ cùm in artificiali generatione principi-  
tum teneat, (materia enim arte factorum est  
substantia Physica, completa, principium  
motus & actionis habens, forma verò arti-  
ficialis merum accidens est, ac ferè figura  
iners;) interdum à seipso veluti mouetur,  
sine externo motore, ad id quod etiam ars

*Materias  
causa effectiv  
quædā fiant  
arte & casu,  
quædam fia  
la arte.*

D potest efficere, vt in sanatione humanum  
corpus; itavt tunc quod ars facit, id ipsum  
casus facere possit: interdum verò non est  
apta ex se moueri, saltem eo modo, quem  
ars exigit; vt in ædificatione sunt lapides,  
qui licet apti sint moueri deorsum, non ta-  
men eo modo, vt simul conueniant & con-  
struantur, sicut artificiosa constitutio do-  
mus exigit, vnde tunc quod ars facit, non  
facit casus. Quis enim vidit unquam, aut au-  
diuit domum aliquam casu factam fuisse?

**E**statuit secundò, omnia quodammodo fie-  
*Emendatio  
contextus.*  
ri, ἔσωστοι, (aliij codices habent ὄμωσις μαρτυρίου), male, quia de vniuocis, quæ & nomine &  
ratione conueniunt, hīc est sermo, non de  
homonymis siue æquiuocis, quæ solo no-  
mine conueniunt, id est, ex vniuoco seu  
simili, tam arte facta quām naturalia, si mo-  
dò per se fiant. Quæ enim per accidens  
fiunt, cùm ex agentis intentione non fiant,  
necessum non est esse vniuoca, id est, agenti  
similia. Vniuoca autem & similia dicuntur,  
vel secundūm naturam, qui modus est prin-  
cipialis, vt filius & pater: vel secundūm par-  
tem seu artem potius, vt domus realis, & do-  
mus idealis, vel secundūm partem formæ,

ut vir aliqua ex parte sanus, & quidpiam partem sanitatis aduehens, vel secundum virtutem, ut frictio cum calore & sanitatem collata. Nam motus, confractionis virtute calorem habet, & sanitatem. In iis ergo quae per se fiunt, semper est quædam similitudo cum efficientibus, siue, ut aiunt, vniuocatio. Agens enim formam suam, quantum potest, vel aliquid sui, communicare intendit effectui suo. Tertiò statuit, proprium esse substantiæ generari ex substantia antecedente vniuoca, eiusdemque speciei & actu existente; sic animal gigni ex animali eiusdem speciei: id tamen non esse necessum in accidentibus, quippe quæ non fiant ab vniuocis semper, ut substantiæ: cùm calor non semper à calore fiat, sed interdum à motu locali, & frictione. Motus autem localis genere differt à calore, ne-  
dum specie.

### Ad Caput decimum.

**V**T explicet an partes rei, earumve rationes, in ratione seu definitione totius ponit debeat: & num partes toto priores sint, necne diuidit primò partes in quantitativas & substantiales: & has quidem ut pote materiam & formam, significat vel in commune sumi posse, ut scilicet materia sunt, vel forma absolutè, vel sub ratione particulari, ut scilicet materia est hæc, nempe sensibilis, ut hæc ossa, hæc carnes; vel intelligibilis, ut hæc linea, hæc latitudo; & ut forma est hæc, ut Socratis. Et partes quidem substantiales in commune sumptas, dici partes formæ, siue formales, seu potius speciei, & totius quidditatis partes; (cùm nomine formæ non altera pars totius Physici, hic debeat intelligi, sed forma Metaphysica, quæ propriè dicitur species, siue specifica essentia, ut homo, seu essentia humana completa;) quo modo carnes & ossa in commune & absolutè dicuntur partes formales, id est, essentiæ & speciei humanæ. Partes vero substantiales particulariter sumptas, dici partes materiae particularis siue materiales, quæ materia propria est indiuidui materiales, quod vocat Aristoteles *σύνολον*. Hoc positio docet partes uno modo ponit in definitione totius, altero minimè. Nam si sumatur totum pro specie, & partes pro partibus speciei, exponit debent in definitione totius: quia per se speciem constituunt. Si vero totum adhuc sumatur pro specie, partes vero pro partibus materialibus, seu potius materiae particularis, ut nempe sunt hæc, vel illæ, Socratis vel Platonis, non debent tunc reponi partes in definitione totius, cùm ipsum per se non constituant, sed ei accidunt: Quod si totum sumatur pro eo quod diciatur *σύνολον*, simul totum, estque indiuiduum

A materiale speciem complectentis cum materia particulari, ita ut possit tale totum definiri, (quod tamen fieri nequit cùm definitio non sit singularium,) tunc partes materiae particularis ponendæ essent in definitione totius sic sumpti. Ex quo intelligitur partes formæ illius, scilicet totius quod species est, esse illo toto priores; cùm in illius definitione ponantur: partes vero materiae seu indiuidui, cum specie quidem collatas esse cā posteriores, cùm illi accidunt; cum indiuiduo autem, eo esse priores, quatenus ipsum constituunt; quatenus tamen sine eorum partium quibusdam esse potest, (nam sine digito & pede potest vir aliquis esse) eodem esse posteriores. Observa obiter, curiosus lector, hoc capite materia dicte per se ignorantem; & aliam esse sensibilem & mobilē quæ *νύμη*. Sub motui subjicitur; aliam intelligibilem, quæ *τέχνη* Mathematicas continet. Quod præterire nolui, ut scias distinctionem materiae in singularem siue particularem, sensibilem, & intelligibilem, è qua sumitur differentia scientiarum Theoreticarum secundum varias abstractiones, ut annotauit in proœmio ad hos libros, peritam esse ex doctrina Aristotelis, non ex inuentis interpretum, ut quidam parum versati in lectione Aristotelis opinantur.

### Ad Caput undecimum.

**V**T magis eluceat partium speciei, quæ formales dicuntur, & partium indiuidui, quæ materiales, discrimen, atque adeo ratio definiendi vniuersalia, quæ sola definiuntur per partes formales, sic tutior & expeditior; Statuit primò, quod quoties forma in diuersis specie subjectis indifferenter esse cernitur, talium subjectorum partes non formales sed materiales sint habendæ: quia forma ab earum singulis potest separari, & sine illis existere. Sic partes aeris non sunt partes formales circuli, sed materiales; quia circulus non tantum in aere, sed in signo vel lapide exprimitur: potestque absolutè sine aere & aliis, seorsim saltem siue singulatim non collectiè sumptis, existere. Vnde patet, pari iure digitum, pedem, imò & totum humanum corpus, ut est hoc particulare indiuiduum, non esse partes formales hominis, id est, speciei humanæ, sed tantum materiales: cùm species humana sine illis consistat. Sed difficultatem parit, quod sèpius forma non cernatur extra certam materiam, sed uni cuiam alligata. Sic enim humana species non cernitur extra carnes & ossa. Sic ergo dici possent hæc partes formales; contraria autem, materiales; quia licet extra has apud nos non videatur species consistere, nihil tamen fortasse prohibet id fieri

*Numeri nō sunt formæ rerum.*  
extra nos, ut putauit Plato; qui ideo dixit carnes & ossa non esse partes speciei humanae, sive idæ hominis, sed materiales tantum. Quod & Pythagorici dixerunt de materia intelligibili, id est, de quantitate continua, per quam ideo negabant esse definidas figuras Mathematicas: imò nec lineam, cum magnitudo sit pars materialis: vnde per numerum eas debere definiri dicebant; & lineam ipsam dualitate definiebant. errant tamen: quia numeri non sunt formæ speciesve rerum. Sic enim linea & binarius essent idem specie, cum dualitate constituantur utrumque. Statuit igitur secundò, res naturales non posse definiti sine materia sensibili; Mathematicas, sine intelligibili. Neutras tamen definiri per materiam singularem, sed communem. Atque adeo materiam partesque materiales in commune sumptas esse formales & specificas. Ex quo sequitur à contrario partes has formæ, & formam ipsam ut singularis est, nomine partium materialium comprehendendi. Ratio est, quod putauerit Aristoteles distinctionem materiæ esse in causa, ut individua sub specie distinguantur; formam vero esse præcipuum id cui eorum inter se similitudo attribuitur. Circulus ergo sive ære definitur, homo non sine carnibus: animal non sine partibus sese certo modo habentibus. Non enim quævis manus pars hominis existit, sed quæ potest opus perficere: Ergo quæ animata est, pars est; quæ anima caret, pars non est.

## Ad Caput duodecimum.

*Definitio partis humani corporis.*  
*Definitum est unum.*  
Statuit definitum esse unum, licet definitio constet genere & differentia; imò licet ipsius definiti quidditas, quæ definitio respondet, pluribus differentiis explicetur. Est enim ipsa definitio una, & quod definitur unum quid certæ naturæ. Atque uno verbo, ex genere & differentia proxima unum ideo exurgit, quod Genus simpliciter & absolute, atque in universum, non sit aliud realiter diuersum à speciebus vel differentiis quibus per se ac proximè diuiditur, ut animal à rationali & irrationali, homine & bruto. Vel certè si aliud est, sic tamen se habeat ad quamlibet differentiam, ut materia ad formam substantialem: vnde ut ex materia & forma sit unum per se Physicum, sic ex genere & differentia unum Metaphysicum. Imò ex pluribus differentiis Generi adjunctis unum etiam fieri putandum est, quatenus in alias differentias diuiditur ipsius Generis differentia, donec ad ultimam pertinatur, quæ speciem insimam propriè definit, & superiores ac genericas differentias determinat, ut forma materiam. Est enim hoc tritum in scholis, gradus essentiales in-

A feriores determinare superiores: vnde illi dicuntur actuales & determinantes, ut *Gradus intentionale & irrationale ad animal; sensi-fieriores determinant tiuum & insensibile ad viuens; hi verò po-superiores. tentiales ad determinabiles, ut animal, viuens.*

## Ad Caput decimumtertium.

**V**T probet vniuersale non esse quidditatem, causam, & essentiale principium rerum sensibilium, quod Plato credit; demonstrat hoc cap. vniuersale non esse *ārū*, substantiam. Primo, quia substantia *vniuersale non est substantia.* sive essentia propria est eius rei, cuius est substantia, ita ut aliis inesse non possit: At vniuersale non est rei alicuius proprium, sed commune. Non est ergo substantia. Secundò, substantia non dicitur de subjecto, eascilicet, quæ per se subsistit, estque actu, qualis est idea Platonis: at vniuersale semper de subjecto dicitur. Tertiò, si vniuersalia essent substantiae, una substantia erit plures; & vicissim plures erunt una. Homo enim erit substantia animalis, & substantia rationalis, tum alia superiora, & haec omnes substantiae erunt una substantia animalis: at hoc absurdum. Nullum ergo vniuersale ut tale, substantia erit, sive hoc aliquid per se subsistens, (sic enim Plato substantiam sumit,) sed erit tale quidpiam in uno particulari, quale est in ceteris.

## A Cap. decimoquarto ad decimumseptimum.

**S**tatuit cap. 14. vniuersalia non esse substantias à particularibus separatas, sibi que Platонem ex eo contradicere, quod dixerit species separatas esse ab individuali, & eas tamen genere & differentia constare affirmauerit. Quaenam ratione Plato species *cōtra Platonis ident.* ab individuali separauit, eadem cogitare separare genera & differentias: quod repugnat constitutioni specierum ex generibus & differentiis.

**C**ap. 15. Demonstrat vniuersalia, si substantiae sunt ab individuali separatae, non posse definiri: quia nulla singularis substantia sensibilis potest definiri: atque talia vniuersalia, id est scilicet substantiarum sensibilium, singularia sunt, & eiusdem rationis cum sensibilibus. Ergo non possunt definihi.

**C**ap. 16. Probat vniuersalia non esse substantias actu, sed potentia. Nam ut substantia sit actu, oportet ut habeat propriam operationem: & præterea sit substantia distincta & separata à ceteris. Hinc enim pes, oculus, licet proprias operationes habere censeantur, (quamquam operatio toti potius tribuitur quam parti,) non sunt tamen actu substantiae, sed potentia: quia non sunt

distinctæ & separatae ab aliis partibus & à Actu. Atqui vniuersalia non sunt separata auctu à singularibus, sed in iis habent esse; & ipsis præterea singularibus operatio primò ac per se conuenit, non vniuersalibus: Non sunt ergo vniuersalia substantiæ auctu, sed potentia tantum; cùm sint per singularia, & eorum partes veluti materiales ac potentiales. Statuit postea, ens & vnum ut communia sunt, & abstracta, non esse rerum substantias; intellige si sumantur quasi per se subsistentia, vt idæ. Nam substantia una numero non potest esse simul pluribus in locis: at quod commune est, simul est in pluribus locis: quare ens & vnum si in commune sumantur, non erunt rerum singulareum substantia, quæ est una numero, imò nec separata, cùm hæc sit etiam singularis.

Error Platonis. Statuit tertio Platonem in eo præsertim errasse, quod ideam quamlibet in multis esse dixerit. hinc enim sequitur vnum numero esse in multis numero, sicque simul indivisum & diuisum numero. quod repugnat. Concludit vniuersalia non esse verè substantias, nec substantias constare ex substantiis auctu, id est, singulares substantias non componi ex vniuersalibus, vt ex substantiis auctu, cùm sint tantum potentia, vt probatum est.

#### Ad Caput decimumseptimum.

Essentia est causa omnium attributorum. Statuit quidditatem esse principium & causam omnium eorum, quæ de re dicuntur, & sic esse in re, vt nec elementum sit, nec constet elementis, sed sit substantia quædam formalis, sola ratione separabilis. Docet verò in quæstione propter quid, debere semper aliud de alio quæri, non idem de scipso. Quærere enim cur homo sit homo, imò & causam reddere, ineptum. Nempe quia quæstio omnis, quandam de re dubitationem supponit: At nemo dubitat an idem sit idem, vel cur homo sit homo. Debet ergo prædicatum aliud esse à subjecto quæstionis. Cui tamen quæstioni propter quid, non aliter satisfieri potest, quæ redendo rei essentiam sive quidditatem aut formam: Formam, inquam, vel Physicam, vel Metaphysicam, quæ species est, totaque rei essentia. Vnde cùm forma & materia in simplicibus, id est, in substantiis separatis, minimè sint, non est etiam talis quæstio propter quid, nec doctrina per talia principia, sed alius quæstionis modus, An sit, quid sit, quale sit. Aduerte tamen de separatis demonstrationem posse fieri, & per entitatem intrinsecam; vt quatenus substantiæ sunt, cùm hoc modo cum materialibus conueniant: & per causam virtualem, vt loquuntur Theologi, id est, non tanquam per veram causam & entitatem internam ac prio-

A rem, sed per aliquid quod ex nostro intellegendi modo, priùs existimetur, vt si quis demonstret Deum esse æternum, quia est auctus purus. Docet postea quidditatem materialium non esse elementum, nec ex elementis; quia quidditas est id quod res naturalis habet, præter elementa, partesve materiales. Denique quidditatem illam esse hoc aliquid, sive substantiam, & primam causam intrinsecam essendi, nempe formalem, & sola ratione separabilem: quia dat esse substantiæ primò, itavt ea inducta res sit primò; ea ablata, res non sit: Materia, non sic. Possunt enim remanere partes materiales, ex quibus res materialis, putat homo, aut caro, constabat, nempe elementa; ipsa tamen carnis quidditate destruxta.

#### Liber octauus Metaphysicorum.

Constat capitibus sex: quibus de quiditate rerum sensibilium Physicè disserit: de qualib. 7. Logicè egerat, vt annotavimus 4. cap. eiusdem libri.

#### Ad Caput primum.

Prædicatum debet aliud esse à subiecto. Repetitis atque in summum collectis iis quæ lib. superiori, & initio lib. 4. & 6. de substantia maximè docuerat, statuit de substantia sensibili priùs dicendum; deinde de Ideis & Mathematicis, quas quidam esse dicunt præter sensibiles substantias. Docet ergo, sensibiles omnes substantias constare materia: Materiam non esse quod quid auctu, sed potentia. Formam esse quod quid, & ratione separabilem, id est, posse, vt simpliciter auctus est, sine materia intelligi; dantur enim auctus quidam, vt substantiæ separatae, quæ à materia non dependent. Compositum ex his solum generari, solum corrupti: esse reuera materiam in rebus, quæ sit substantia & subjectum oppositarum mutationum: esse materiam unam, generationis & corruptio-  
solum materialis compositionem generatur ac corruptitur. nis, cui insint aliæ omnes mutationes; alteram mutationis loci tantum, quæ non sit subiecta alteracioni propriè dictæ, accretionis, aliisve mutationibus; illam verò materiam possumus elementarem, sublunarémve appellare, hanc, cælestem.

#### Ad Caput secundum.

Demonstratio virtutis. Exponitur Democriti sententia, (vt c. 4. l. 1.) qui subiectum vnum & idem rerum omnium esse censuit; differre autem ἀνούσιον, οὐνιτόν, δι- id est, lingua Abderitana, figura: Græcè enim ἀνούσιος, fluxus est; ηρών, id est, situ & positione, ad sensum Democriti: propriè enim ηρών, conuersio est. Denique θάνατος, id est,

ordine. quanquam vox *διαδήνης*, contactum propriè significat. Redarguitur verò Democritus, quòd cùm contentus sit accidentalibus differentiis, ex verò sint longè plures illis tribus, eas tamen non commemorauerit. Item quòd tales differentiæ non possint esse formæ substantiales, siue dare substantiis formalia principia essendi, cùm illæ faciliter mutentur, & simul esse possint. Statuitur & tandem diuersarum materiarum esse diuersas formas actusve: & definitionem rerum, natura vel arte constantium, non esse legitimam; nisi materia simul & forma declareretur.

## Ad Caput tertium.

**C**ap. 3. proponitur quæstio, an substantiarum sensilium nomina significant compositum, quod hic vocatur *κοινόν*, an solam formam: dubium enim non est non significare solam materiam. v. g. an domus significet ædificium è lapidibus, lateribus, &c. constructum, an tantum formam domus. Rejicitur quæstio ad dialecticos. Solutio est ex c. 4. huius lib. nomina illa primò ac præcipue significare composita, sed ratione formarum, à quibus nomina sumuntur. Statuitur, formam esse priorem composito: Quia forma est suum esse, nec illud ab alio sumit, compositum verò sumit esse suum à forma. Vnde forma est ratio essendi, composito; & ratio significandi, vocabulo. Concurrere etiam formam ad totius compositionem, non ut aliquid præexistens, sed ut id quod esse incipiat vñà cum ipso toto. Refutatur error Antisthenis & sectatorum, (quos vo-

Forma prior est compositio.  
Refellitur Antisthenes qui siebat nihil posse definiri.

cat *ἀπειδήτους*, ineruditos, id est, propriè, dialecticæ ignaros, ) dicentium nihil definiri posse: cùm oporteat, τὸ εἶναι λόγον μαρτόν, definitionem esse sermonem longum, id est, constare pluribus verbis, & ea per quæ res definitur, debere adhuc definiri; ne ex ignotis ignotum declaretur. Itaque debere res declarari similitudine & comparatione: ut argentum esse quid simile stanno, aut quale est stannum: quod appositiè dicimus Gallicè, c'est quelque chose comme cela. Hic inquam error refellitur, quòd licet oratio definitiva omnis duabus saltem partibus constet, quarum altera sit vt materia, altera vt forma; falsum tamen sit omnia è quibus constat definitio, esse etiam definienda. Ad ea enim deuenitur quæ composita non sunt, sed prima & omnino simplicia, vt sunt genera summa, & differentiæ omnes, quibus illa diuiduntur; quæ quidem genera summa & differentiæ non possunt definiri, licet describi utcunque possint, & explicari à posteriori. Ut ergo necessum non est principia demonstrationis demonstrari, cùm sint prima, immediata, ac per se nota; ex i. poster. Analyt. c. 3. sic ne-

A cesse non est, terminos simplices & primos definiri. Statuitur denique, substantias, formæ, id est, essentias & quidditates rerum, non esse quidem numeros, sed similes numeris. Ut enim numeri diuiduntur in unitates indivisibiles: sic essentiæ specificæ resoluuntur in prædicata indivisibilia, id est, irresolubilia, in alia priora. v. g. in Genus summum & differentias. Nam definitiones infinitæ non sunt, id est, in infinitum indivisibles, ut nec numeri. Item ut numerorum species mutantur sola unitate addita, vel detrahe, mutabis speciem numeri, faciesque vel quaternarium, vel binarium: sic additione vel subtractione differentiatum, essentiæ speciesve rerum mutantur. Adde enim animali rationale, vel detrahe sensituum, essentiam mutabis.

## Ad Caput quartum.

**D**ixit suprà de quibusdam formæ attributis, nunc, id est, cap. 4. & 5. de materia quædam decernit, & in 4. quidem de materia agit, ut ex ea res constant, aut in ea habent esse, in 5. autem ut ex eadem sint. Atq; hæc sane Physica sunt. Statuit ergo primùm rerum species propriam habere materiam, licet omnes in prima & communi materia conueniant. Ea autem materia propria dicitur vulgo in scholis secunda, sic videlicet vel sic disposita: licet hoc loco prima dicatur: hic enim prima, proxima est: sic vocat Aristoteles pinguia & dulcia, οὐκων τὸ φλιτζανός χόλης ἢ τὰ πηκτά, primam materiam pituitæ, cholerae, amara. Deinde non esse vnius rei plures materias, nisi una constet altera, ut secunda quæ primam supponit. Tertiò: ex eadem secunda materia res diuersas fieri propter causam efficientem, ut ex ligno arcum & lectum. Quartò, causam efficientem esse specie eandem, cùm, materia existente diuersa, effectus idem est: sic statu ligneæ vel æreæ eadem est causa efficiens, scilicet artifex. Nam si materia specie diuersa est, & causa efficiens specie diuersa, effectus necessariò specie diuersus est. Quintò in rebus caducis, quatuor causas reddi debere, easque proprias. Sextò, accidentia naturalia non constare materia è qua fiant, sed in toto composito esse. Sic eclipsin è nulla materia constare, esse tamen in Luna subiectiuè. Sextò, formam accidentium esse ipsorum essentiam & definitionem, definiri tamen accidentia clare, cùm causa expонitur. Ex hoc loco colligere oportet definiri accidentia formaliter, & causaliter; esse sequere claram & accuratam definitionem, cùm simul utroque modo definiuntur, ut si eclipsis Lunæ definiatur, priuatio luminis ob terræ interpositionem.

Terminis  
primi &  
simplices nō  
definiuntur.  
eis mō  
āeūmō nō  
īnīas.

Essentiæ &  
definitiones  
sunt similē  
numeris.

## Ad Caput quintum.

**S**TATUIT 1. ea sola fieri ex materia quæ per se generantur & intreunt, ut sunt composita. 2. Materiam in potentia esse ad formas oppositas, sed magis ad nobiliorem: quia appetit materia ardentiùs eas formas, quæ nobilius esse conferunt. 3. Non dici perfectius materiam imperfecti; ut viuens, materiam mortui; vinum, aceti, licet in deterius abeat: quia deteriora per accidens fiunt è nobilioribus, vt meliora per se ex imperfectioribus. Est enim naturæ ordo ut ab imperfecto incipiat, & ad perfectum progressiatur: si aliter fiat, per accidens sit ac præter naturam.

## Ad Caput sextum.

**P**ROPONITUR quæstio, cur definitio, id est, principia rei, quæ definitione explicantur, ut genus & differentia, materia & forma, itemque numeri, seu potius unitates, è quibus numeri constant, sint vnum. Nam omnium, quæ sunt per se vnum, aliqua causa est, cur sint vnum, hoc est cur partes vnum constituent. Hanc quæstionem soluere Plato non potest, qui Genus & differentiam credit esse ideas sive res per se subsistentes, atq; omnino separatas, & à se, & specie. Vnde pati ratione explicari non potest, quo pacto numeri, ut sunt in rebus, dici possint vnum: cùm nihil sit quod unitates aliqui discretas iungat, & vnum faciat. At facile soluit Aristoteles, qui cùm Genus & differentiam, doceat non esse res à se inuicem separatas, sed potius naturali nexu coniunctas, ut & materiam & formam, idcirco definitionem affirmat vnum esse, quod constet iis principiis partibusve quæ aptæ sunt naturali quodam affectu & propensione vniuersi inter se, & sic vnum per se constituere. Semper enim in definitione, vna pars se habet ut materia, vel ut potentia; altera, ut forma, vel ut actus. At actus sive forma perfectio est, potentia sive materia, id quod perficitur; est autem naturale ut perfectio, sive id quod perficit & compleat, cum eo quod perficitur, coniungatur. Cùm ergo naturaliter fiat ut materia & forma, Genus & differentia simul iungantur, & in vnam per se naturam quidditatèmque coēant, mirum esse non debet, quod definitio ex illis constans vna sit. Sed quæ materiam non habent, nec sensibilem, nec intelligibilem, ut substantiæ separatae, per se primò sunt vnum & ens tale, cùm sint puri actus. Non debere vero ens & vnum ponи in definitionibus, quia definitiones non excedunt genera summa; nec datur quidditas vna & Synonyma summis generibus conueniens, cùm ens non sit genus Synonymum

A sed analogum, vt alibi dictum est, nempe cap. 2. lib. 4 huius operis.

## Liber nonus Metaphysicorum.

**C**ONSTAT capitibus decem, vel, ut quibusdam placet, duodecim, in tres partes redactis. Prima est de potentia, quæ ordine generationis prior est actu, in naturilibus. Secunda, est de Actu. Tertia, de comparatione utriusque. Quam sequuntur quædam de vero & falso documenta, ad calcem libri.

## Ad Caput primum.

**S**TATUIT primo post primi entis, id est, substantiæ explicationem, agendum esse, mei suauitatis, ἡ τὴν ἀπελέξεις. de potentia & actu. Cùm verò potentia & actus in Physicis & mobilibus, itemque in immobilibus sive spiritualibus reperiuntur, de potentia Physica, & quæ rebus mobilibus inest, prius esse differendum. Relictis ergo potentiis æquiuocè & impropiè dictis, vt Mathematicis, & Logicis, quæ non repugnantiae vulgo dicuntur, eas assumit, per quas res verè ac realiter agere vel pati posse dicuntur. Ut est vis actiua calefaciendi in igne, & potentia passiua aquæ, per quam potest calefieri: quæ simpliciter agendi aut patiendi, aut bene agendi vel bene patiendi principia dicuntur. Statuit igitur secundo potentiam aliam actiua esse, aliam passiua, idque vel simpliciter, vel bene: & cæteras quidem reduci ad vnam primam, id est, ad actiua simpliciter, quam definit principium mutationis in alio, sive agendi in alio, aut quatenus aliud est. Potentia enim actiua omnis vim habet agendi in alio, illudque mutandi, cùm nihil agat in seipsum, sive propriè, ut idem est, immutet. Vnde additum est, aut quatenus aliud est. (Debet enim suppleri particula disiunctiua, Aut, in textu,) quia fieri potest, vt idem agat in seipsum. Medicus enim potest se ægrum curare; sed tunc ager in seipsum, non ut idem, sed ut aliud est. Medicus enim curat se, quasi esset quid aliud à Medico, & ut est æger: reuera enim aliud est esse Medicum, aliud ægrum. Statuit tertio potentiam actiua & passiua esse quodammodo vnam; quia scilicet vnuus est re ipsa motus passionis & actionis, & neutra sine altera esse potest: sed simpliciter esse diuersas; quia aliter definiuntur, & in diuersis subiectis sunt. Passiua enim in paciente est, actiua in agente. Vnde nihil à seipso patitur propriè, Nihil patitur à seipso modò vnum & idem sit ubique partium, ut n' à seipso homogenea. Statuit quarto n' à seipso, im-potentiam, esse priuationem potentiarum de

*Cur materia & forma, Genus & differentia, vnum constituant, licet sint plura, & diversa.*

*Substantia separata sunt per se vnum quid.*

*Potentia actiua, & passiua.*

*Animaduersio circa sextum.*

*Nihil patitur à seipso*

quā actum est, ideoque versari utramque circa idem, & esse in eodem.

## Ad Caput secundum.

Divisio 7  
Secunda pars. **S**tatuit prīmō, potentias alias esse rationis expertes, ut vim calefaciendi; alias rationis participes, ut artes, tam eas quæ efficiuntur sunt, quām eas quæ scientiæ. Hæ enim sunt cum ratione coniunctæ. Secundō, esse inter eas hoc discrimen, quod potentia rationales, ut Medicina, sint contrariorum, ut sanitatis & morbi; utrumque enim facte potest medicus. Irrationales vero, ut calor, sint vnius. Calor enim solum calorem producit. Tertiō, valere consequentiam à bene facere, ad facere simpliciter, non contraria. Sic, hic homo bene scribit, ergo scribit; bona est consequentia; sed hic scribit; ergo bene scribit; non sequitur.

## Ad Caput tertium.

Remanet  
potentia, li-  
us nō agat. **R**efutat Megaricos Zenonis discipulos, qui falsò potentias negabant præcedere & subsequi suos actus, sed tantum esse cùm actu operarentur. Prīmō, quia ædificatorem vocamus, qui licet actu non ædificet: facultatem tamen ædificandi sibi comparavit; vel qui aliás ædificauit. Secundō, animal non haberet sensum, nisi actu sentiret; quod falsum: Sensus enim manet, licet actu non fiat sensatio; cùm sensus sit facultas. Tertiō, impossibile esset fieri, quod actu non fit; & quisquis diceret aliquid fore quod nondum sit, mentiretur; Potentia ergo & actu diuersa sunt. Id vero, inquit, possibile est, cuius potentia, si ad actum reduci ponatur, nihil euenerit impossibile. Tum annotat, Actus nomen, ἀπόγειας τὸ οὐτερέντιον, prīmō motum significasse: deinde actiones, quæ sine motu fiunt, ut visionem: tertio, qualitates mouentes & activas: quartō, formas substantiales: sed fortè actualem existentiam primō deberet actus significare: quod simpliciter ea esse dicamus actu, ἀπόγεια, quæ actu existunt. Esse propriè dicitur de eo quod actu est. Nam ea quæ potentia sunt, ponuntur inter ea quæ non sunt.

## Ad Caput quartum.

Possibile de-  
esse actu  
quando. **S**tatuit errare eos qui putant aliquid esse possibile, nunquam tamen actu futurum. vel qui dicebant dari potentias, quarum actus sint impossibles. Ex hoc enim sequi, omnia esse possibilia; nihilque esse impossibile. Possibile enim dicitur id quod ex aliqua potentia sequitur, aut sequi potest. Si ergo nunquam sequatur, & è potentia erumpat, non dicetur possibile. Res igitur possibilis debet tandem esse actu. Porro in con-

A sequentia necessaria & antecedente possibili semper efficitur consequens possibile. Si ex A, putà ex homine, necessariò sequitur B, putà animal. Profecto si homo est possibilis, erit & animal possibile.

## Ad Caput quintum.

Tria poten-  
tiarum ge-  
nora. **D**istinguit tria genera potentiarum: alias enim esse naturales, ut sensus: alias consuetudine parari, ut est facultas tibiis canendi: alias, disciplina, ut artes. Inter quas hoc est discrimen, quod ex quæ consuetudine & disciplina comparantur, præuias quasdam operationes requirant, siue antecedentem exercitationem & studium; quæ vero naturales sunt & passiuæ, nullas antecedentes actiones postulent. Docet postea, potentias naturales & rationis expertes, tunc necessariò in actum reduci, cùm actuum & passiuum indebita sunt propinquitate; nihilque est quod impedit. Potentias autem rationales, non sic: quia positis omnibus ad agendum requisitis possunt facere contraria: imò & agere & non agere si libet, idque ob insitam libertatem, quæ in agendi & non agendi indifferentia maximè consistit. Faciunt ergo appetitus vel electio, ut potentia rationales in actumexeant, idque καίων, id est, instar principis dominantis. Est enim agens liberum dominus sui, suarumque actionum. Non potest autem quis simul & semel eademque ratione contraria facere, quia fertur potentia in certum quid, certo modo.

## Ad Caput sextum.

Obserua-  
tio  
circa textum. **A**git φη̄ διεργίας, de actu: docetque esso actum, cùm res quæ erat potentia, alter est quām cùm erat potentia. Potentia autem esse dicitur, ut in ligno est Mercurius. Et actu quidem in vniuersum sic se habet ad potentiam in vniuersum, ut ædificans siue qui actu ædificat, ad ædificatum; vigilans ad dormientem; videns ad eum qui claudit oculos, potest tamen videre. Sic enim actu in commune explicari debet, per actuū specialium exempla. Actuum quidam excēt è potentia sua, ut visio à visu; quidam non, ut actualis divisio continui in partes infinitas. Quæ sequuntur verba in textu, (ἰμὶ 37 εξ-  
έων, cùm vero actionum, &c.) putantur à Perfectas  
actiones  
qua. quibusdam adiectitia, cùm non reperiuntur in versione Alexandri, nec Latinorum, nisi fortè vnius aut alterius è recentioribus. Sunt tamen in Græcis codicibus, & reuera congruent textui & doctrinæ Aristotelis. His enim docetur, actiones alias esse perfectas, alias imperfectas: (Hic autem actio significat quamlibet operationem, etiam actum ipsum contemplandi:) Perfectas vero esse

*Quia imper-  
finita.*

*Discrimen  
illustre &  
ēcōp̄jēas &  
& cōt̄lē-  
jēas.*

cas, quæ ad aliud non tendunt, ut ad terminum, vel finem, vel perfectionem; sed ipsæ sunt fines, ut videre, contemplari, & hæ propriè dicuntur *ēcōp̄jēas*, actus. Imperfætas autem quæ ad aliud paulatim & successiuè tendunt, ut ad extremum, siue ut ad terminum: itavt hæ actiones non sint fines, sed ad finem, ut *τὸ iγγαντί*, extenuari. Extenuatio enim tendit ad maciem. Et hæ dicuntur propriè motus, *κινήσις*. Dignum scitu est, vocabula *ēcōp̄jēas* & *cōt̄lējēas*, actum significare, & ex communi Aristotelis usu æquè latè patere; si tamen vis eorum spectetur, *cōt̄lējēas* potius sumi pro actu per modum habitus & formæ insidente; itavt *cōt̄lējēas*, idem sit quod perfectio in habitu seu habitualis, siue formâ, vel substantialis, ut anima, vel accidentalis, ut candor, lumen, scientia; & quæ quodammodo sine operatione possit esse: *ēcōp̄jēas* verò, solam operationem, perfectam & completam significare. Ex qua animaduersione apparet, actiones imperfætas non esse absolute dicendas *ēt̄lējēas*, multoque minùs *ēcōp̄jēas*.

### Ad Caput septimum.

*Quandores  
sunt in po-  
tentia pro-  
xima ad  
actum.*

**D**icitur res dici in potentia proxima ad actum, ex parte quidem agentis per intellectum, cum ex voluntate alicuius fieri possunt, nullo exterius impediente: ut si pector artem habet, instruenta, materiam, nec quid impedit quominus imago pingatur: ex parte autem agentis naturalis, cum naturaliter fieri à causa quadam efficiente possunt, nullo extrinsecus prohibente, ut maturatio segetum, cum Solest in Cancro, nec imbris impeditur. Ex parte autem patientis, cum nihil eorum quæ in subiecto materialiæ sunt, impedit vim agentis. Porro eorum quidem quæ voluntate & arte fiunt, principium effectuum, est externum, ars enim & voluntas in agente intellectivo sunt, non in rebus artificiosis; eorum verò quæ naturâ fiunt, internum est principium, nempe forma.

### Ad Caput octauum.

*Actus prior  
est potentia.*

*Ratione.  
Tempore.*

**S**tatuit actum omni omnino potentia priorem esse, atque adeo natura omni, quæ sub potentia continetur, cum sit principium mutationis efficiendæ. Priorem, inquam, *λόγῳ*, *εἰδῇ*, *χρόνῳ*, *ratione*, *substantia* siue *essentia*, & *tempore*. Ratione quidem, quia potentia definitur per actum. Tempore, quia licet in eadem re numero, prior tempore sit potentia quam actus: prius enim homo potest esse, quam sit actu: prius potest esse doctus, quam sit: in diuersis tamen rebus eiusdem speciei, actus tempore prior est potentia: cum nihil fieri possit, & è po-

A tentia ad actum reduci, nisi ab agente quod sit actu.

Probat postea, ( Hinc quidam caput nouum incipiunt, ij scilicet qui 12. faciunt,) Actum potentia priorem esse *εἰδῇ*, *Essentia*, substantia. Primo, quia quod generatione posterius est, id specie, essentia, substantia prius est, siue perfectione: ut vir, puer, homo, semine; semper enim generatione siue accidentalis sit, siue substantialis, ab imperfecto rei statu incipit, & ad perfectum procedit; atqui actus generatione potentia est posterior: Omnis enim generatio procedit è potentia ad actum: quia in re eadem numero, prius tempore est esse potentia, quam esse actu. Secundo, actu est finis potentiae. Nam propter actuum potentia est. Visus enim non est propter videndi potentiam, sed propter visionem: Atqui finis ut generatione posterior, sic & perfectior natura est, & prior intentione eo quod est propter ipsum: ergo actus qui potentiae finis est, erit potentia prior, & natura sua substantia perfectior. Sed actio alia est ultimus potentiae finis, ut visio visus; quo loco notandum visionem dici *εἶσαι*, visum verò, id est, facultatem ipsam, *εἴη*: alia, non ultimus, ut ædificatio; quæ non est ædificatrix potentiae finis ultimus. Nam ipsa ædificatio ad alium finem tendit, putè ad domum. Itaque licet duo hæc actionum genera dici possint fines suarum potentiarum, prioris tamen generis actiones magis propriæ fines nominantur, quia sunt ultimi. Hoc loco vita dicitur actus animæ; & felicitas, vita quædam. Dicitur & forma, actus. Esse verò actuum substantia priorem potentia, probat ratione ducta à rebus æternis. Res enim æternæ, ut intelligentiæ & cœli substantia & perfectione essentiali priores sunt caducis; atqui res æternæ ut tales, nunquam potentia sunt, sed semper actu; caducæ verò sunt aliquando potentia, itavt esse & non esse possint. Hic notandum propositiones necessarias dici esse perpetuæ veras, ut hominem esse animal rationale, docile, risibile. Vnde colligendum est errasse nominales quosdam Philosophos, qui voluerunt, propositiones necessarias non esse simpliciter veras, nisi dum extrema sunt actu, siue dum res ipsæ existunt. Res ergo æternæ & propositiones necessariæ primæ sunt, & ab illis res caducæ, ab his veritas rerum dependet. Si enim illæ non essent, nihil esset.

### Ad Caput nonum.

**S**tatuit i. actum in genere bonorum esse *In bonis* meliorem potentia: melius enim est *melior est* esse sanum, & sapientem actu, quam esse posse: in genere autem malorum, deteriore*actus poten-  
tia: in malis  
contra.*

rem. Est enim deterius, esse actu futem, vel homicidam, quam posse esse. 2. In sempiternis nullum malum esse, nec peccatum. 3. Actum esse intelligentia & cognitione priorem potentia. Quod probat designationibus Mathematicis. Potentiam enim ex actu esse, inueniri & cognosci. Hincque facientes cognoscere per effectiōnēm, rem quæ erat potentia. Ab intellectione quæ actus est, sequitur rem posse intelligi.

*Ad Caput decimum.*

**S**TATUIT 1. id quod maximè propriè ens est, verum esse aut falsum: id est, veritatem vel falsitatem conuenire rebus qua res sunt, sunt. Loquitur autem de veritate & falsitate complexa quæ sit componendo, id est, propositione affirmante, vel diuidendo, id est, propositione negante. Vnde verum dicit intellectus, si eius iudicium rei conformetur; falsum, si contraria: est enim in rebus compositio, & diuisio; ut in intellectu. Vnde si intellectus res componat inter se, (quod facit per affirmationem,) ut reuera sunt: vel diuidat, ut reuera sunt diuisæ, (quod per negationem facit,) v. g. si dicat, homo est animal vel homo non est lapis; verum dicet; quia à parte rei, homo & animal simul coniuncta sunt: & homo & lapis, diuisa: falsum autem si contraria. 2. Verum & falsum esse in simplici rerum apprehensione, sed simpliciter, non complexè, id est, non enuntiatiuè, ita ut verum illud nil aliud sit, quam rem obiectam attingere, id est, simpliciter percipere: falsum autem, si propriè hic locum haberet, non attingere, siue ignorare. Quanquam non dicitur ignoratio propriè falsitas. Vnde simplex apprehensio vera quidem per se esse potest; falsa, nunquam: cùm falsitas requirat compositionem vel applicationem affirmantem, aut negantem. Hinc nos non decipi aut errare, circa ipsum quid est, siue in conceptu definitio, qui simplex est: Nisi forte per accidentem, vt nempe male definitio applicatur. Neque etiam errare circa substantias separatas, siue simplices: quia sunt simplices actus, ingenerabiles, & incorruptibiles. 3. Veritatem complexam & falsitatem esse posse de substantiis iisdem separatis. 4. Non posse cum aliquando decipi in notitia rerum immobilium siue immutabilium, quiccas semel immobiles existimauerit. Vel enim semper verè iudicabit, vel semper errabit: Quia res immobiles semper sunt eodem modo. Itaque vicissitudo deceptionis, & veri falsique iudicij, erit tantum circa contingentia & mutabilia.

*Liber decimus Metaphysicorum.*

**D**ECEM constat capitibus: vbi de uno mundo, de quo iam dictum est c. 6. 1. *Hic liber est Metaphys.* Hinc non pauca hoc libro, alibi *repetitiones.* dicta de uno, eodem, diuerso, oppositis, repetuntur, ausim dicere, ad fastidium. Occidit miseris crambe repetita magistros.

*Ad Caput primum.*

**P**RIMO igitur capite repetit Aristoteles modos vniuersitatis est c. 6. 1. 5. Ut vnum dicatur maximè, quod continuum est natura; quod totum est; quod singulare, quod vniuersale. Tum statuit vnum in eo positum esse, quod ens reddit indivisibile & inseparabile, vel loco, vel forma seu specie, vel mente seu ratione, vel toto & definito. Item vnum esse mensuram rerum omnium, ut vnitatem in numeris; pedem vnum in magnitudinibus; minimum motum simplicissimum & celerissimum, & qui maximè unus est, ut est motus primi mobilis, in aliis motibus; in Musica diesin, siue semitonum; in vocibus elementum, siue vocem minimam. Est enim semper mensura eiusdem generis, ex lib. 2. de caelo.

*Ad Caput secundum.*

**R**Epetitur opinio Pythagoræ & Platonis, qui voluerunt vnum esse substantiam, qua vnum est. Statuitur non esse substantiam, sed *enūmēma*, id est, quoddam attributum commune, quod de omnibus, ut ens, prædicatur.

*Ad Caput tertium.*

**S**TATUITUR UNI multa opponi, quadam concreti ratione; quam alij oppositionem priuatiam esse volunt, & ideo vnum manifestari per multitudinem, ut indivisibile per diuisibile; diuisum per diuisa, ut priuatio declarari solet per habitum, formamve oppositam. Est enim diuisibile, indivisibili notius secundum sensum, ut multitudo, unitate. Item ad vnum referri idem, æquale, simile; ad multa vero diuersum, inæquale, dissimile. 3. Quæ differunt, propriè differre genere, vel specie. Ea autem genere differre, Physico supple, id est, materia, quorum non est communis materia, nec mutua generatio: vel etiam Metaphysico subalterno, quia vnum ad corruptibilem substantiam pertinet, alterum ad incorruptibilem. Specie vero, quorum idem genus. Dici autem id genus quo ambo quæ differunt secundum substantiam, idem dicuntur,

Conuenient  
verum &  
falsum re-  
bus quæ res  
sunt.

Veritas sim-  
plex.

Vera est per  
se simplex  
apprehensio,  
non falsa.

Opus  
etimologicum  
vocis.

Vicissitudo  
erroris est  
et rea sola  
contingentia.

*Ad Caput quartum.*

**S**TATUITUR, contrarietatem esse differentiam maximam & perfectissimam. Contrarietatem tamen omnem reduci ad priuationem, & hanc quodammodo ad contradictionem: contraria omnia reduci ad unum & multa.

*Ad Caput quintum.*

**Q**UÆRIT QUOMODO UNUM & multa opponantur, si verum est unum esse contrarium. Obiter admonet, utrum, <sup>interrogans</sup> interrogare opposita. Est enim inepta interrogatio, utrum homo sit, an verò albus? nisi ex hypothesi: ut uter accessit? Cleon an Callias? Si pactum fuerit alterutrum esse venturum. Legitima autem est interrogatio, utrum homo sit rationalis an non? Unus igitur opponi multa patet, quia æquale magnum & paruum, sive maius & minus; & unum paucum & multa, quod dicitur cap. 6. opponuntur. Sed diuersa est oppositionis ratio inter magnum & paruum, quæ sunt relata; & inter æquale & inæquale, quæ contraria. Æquale ergo est quod neque magnum est neque paruum, aptum tamen esse tum magnum, tum paruum. Itaque magno & paruo opponitur æquale, ut negatio priuationis, ideoque in medio utriusque stat, cum sit neutrum: ut, in moralibus, dicitur id bono & malo oppositum instar negationis priuationis, quod neque bonum neque malum est; sed inter utrumque medium, quod medium, nomen non habet.

*Ad Caput sextum.*

**P**ROPONIT SOPHISMA, contra id quod di-  
ctum est, unum multa opponi simpliciter. Hinc enim sequivideatur, unum esse paucum, vel pauca; quia multa paucis opponuntur. Non enim multa paucis opponuntur, ut pauca sunt multa, ergo ut sunt unum. Et sic pauca erunt unum: at qui reuera pauca sunt multa: saltem enim duo sunt: duplex verò est multiplex; ergo sic unum erit multa. quod est absurdum. Solutio est unum multa opponi simpliciter, ut multa sunt, sumendo multa absolute & sineulla significatione excessus, quomodo duo dicuntur multa simpliciter: quatuor autem ad duo comparatiæ, multa vel multum: & sic pauca & multa seu potius paucum & multum, quæ dieuntur secundum excessum vel defectum, unum non opponi, nec sic unum esse paucum, cum paucum sit absolute multum, & saltem duo. Vel breuius pauca & multa esse inter se relata: & duo cum quatuor vel pluribus comparata, esse pauca simpliciter, sed esse primum multum; vel, quod idem est, binarium esse ultimam pauci-

*Solutio sophismatis.*

A tatem, (nullum enim paucum minus est duobus in numeris,) & primam multitudinem, ut patet; at verò unum & multa esse contraria simpliciter.

*Ad Caput septimum.*

**S**TATUITUR 1. media contrariorum, ex contrariis esse; cum media eiusdem generis sint atque ipsa contraria. Media autem esse *Media* in quæ oportet prius rem mutari quam in extrema, ut sunt inter colores puniceus & fuscus, in quos oportet prius rem mutari, quam ex albo in nigrum transitus fiat. 2. Media esse inter opposita; non tamen inter contradicentia. Repetitur oppositorum quadripartita diuisio, ut in lib. Categoriarum.

*Ad Caput octauum.*

**S**TATUITUR, specie differentia, sub eodem genere constitui. Genus enim est quo ambo, id est, duæ species oppositæ, sunt idem, non secundum accidens. Differentia autem diuersitas est generis, quæ diuersum hoc ipsum facit: ideo in eadem serie categoriæ omnia sunt contraria, id est, species eiusdem generis contrariæ sibi opponuntur. Sed genus materia est speciei, id est, se habens instar materiæ.

*Ad Caput nonum.*

**S**TATUIT, mulierem à viro non differre species, licet mas & fœmina sint contraria, & viro non differt species. Ratio est, quia sexus masculinus & fœmininus sunt accidentia generis, id est, animalis, propria; atque adeo materialia: at verò accidentia materialia & proprietates generi, qua genus est, conuenientes, licet contrarietatem habeant in eodem genere, non possunt tamen specificam differentiam inducere: quia ex solæ contrarietates specificam differentiam faciunt, quæ ex forma & ratione propria desumuntur. Unde patet, homines albos non differre species à nigris; cum eadem sit ratio.

*Ad Caput decimum.*

**S**TATUIT, corruptibile & incorruptibile esse species diuersa: quia sunt contraria. Contraria enim species differunt: in conclusione tamen ponitur *τῷ οὐδεὶς*, genere; pro *τῷ οὐδεὶς* species. Quanquam & genere aiunt nonnulli, hoc loco materiam designari, quæ est genus Physicum. Sed non si idem potest album esse & nigrum, quæ contraria sunt; ideo etiam idem erit aut esse poterit corruptibile & incorruptibile: quia contrariorum ratio disparest, cum alia sint accidentia, ut album & nigrum; alia essentialia, & planè necessaria, ut corruptibile & incorru-

Notantur  
idearum  
assertores.

ptibile, quæ subjectis suis necessariò insint. Vnde sequitur errasse Idearum assertores, qui rerum corruptibilium ideas fecere incorruptibiles. Posuerunt enim illi homines corruptibles sub genere uno seu potius specie, vel idea una hominis per se, & incorruptibilis: Quod manifestam inuoluit repugnantiam: Si verum est corruptibile & incorruptibile genere subalterno vel specie differre.

*Liber Undecimus Metaphysicorum; qui  
haec tenus peruerso ordine fuit  
decimustertius.*

**L**librum hunc, (quem viri graues & erudiiti non esse Aristotelis, ut nec sequentem, vel saltem non pertinere ad superiores libros crediderunt, & esse reuera Aristotelis, & ad superiores libros omnino pertinere, haud, opinor, obscurè demonstrauit initio meæ Synopseos in libros Metaphysicos: vbi de ordine & partitione horum librorum disserui. Quòd enim hic & qui eum consequitur sint Aristotelis, apertè probat non modò stylus & doctrinæ ratio, sed maximè ipsius Aristotelis methodus ac institutum; qui libris superioribus disertè significauit se de entibus Mathematicis, & ideis dicturum. Quod his duobus manifestè præstat & exequitur. Est enim insignis textus ex c. 1. lib. 8. Vbi de sensibilibus substantiis priùs agendum esse statuit; deinde de ideis & Mathematicis. *πεὶ τὸν ίδεαν, inquit, τὸν μαθηματικὸν ὑστερούσιν.* De ideis & Mathematicis postea considerandum erit. Hinc ipse Aphrodisiensis hos libros, ut ab Aristotele editos, citat in comm. ad l. 12. c. 10. Eosdem autem libros ad superiores pertinere, ipsa etiam rerum tractatio methodusque declarat, cùm ratio docendi postulet, ipséque Aristoteles decreuerit, ut post sensibiles substantias, agatur de ideis & Mathematicis rebus, quas substantias esse, & rerum principia, Pythagorici & Platonici voluerunt. Nempe ut à sensibilibus & Mathematicis ad spirituales substantias, & ad harum tandem primam, supremamque, putà D Deum Opt. Max. rerum omnium summum principium, ascendamus. Quanquam si docti illi viri ideo dixerint non pertinere hos duos libros ad superiores, quòd non debeant sequi duodecimum vulgo dictum, nec esse iustum eorum qui postremi vulgo habiti sunt, cum illo qui etiam vulgo creditus est duodecimus, nostro autem ordine est decimus quartus, connexionem; rectè quidem illi sentiunt. Certum enim est illos duos, qui haec tenus habiti fuere 13. & 14. non debere postremos numerari, & duodecimo vulgo substitui: sed eum qui 13. habitus fuit, post decimum potius esse numerandum; tum re-

A ponendum alterum qui 14. habitus est; cùm doctrinæ series & communio vtrumque iungendum esse testetur; deinde collocandum cum qui haec tenus fuit vndecimus, quem denique, is qui duodecimus fuit, consequatur tanquam verè 14. & omnium postremus. Atque eum quidem qui 13. fuit, debere vndecimum statui, ut eum statuimus, præterquam quod loco citato demonstrauit, id insuper declarat, quòd non sit decimi cum vndecimo vulgato, nobis 13. vlla iusta connexio; sit autem manifesta eiusdem decimi cum eo quem vndecimum facimus, per ideas coniunctio. Claudit enim Aristoteles librum decimum breui idearum commemoratione, & refutatione; de quibus libro sequenti, id est, hoc, nobis vndecimo, & alio sequenti, fusiùs agere debebat. Quasi illa decimi clausula de ideis, hunc quem vndecimum statuimus, iungendum esse cum illo decimo, significare voluerit: sed & nostrum illum ordinem esse verum ac legitimum declarabit doctrinæ progressus. Posito igitur & restituto potius ordine librorum, ad doctrinæ breuem perspicuamque declarationem accedo.

Constat vndecimus hic liber capitibus summa libri vndecimi, quibus multa alibi in hoc opere dicta repetuntur; quæ tamen omnia ad tres partes possunt reuocari. Prima est de magnitudinibus, quas statuit Aristoteles per se non subsistere, nec à sensibilibus substantiis separatas inueniri, neque etiam inesse sensibilibus, quasi aliam naturam à magnitudinibus sensibilibus obtinentes; sed eas tantum esse sensibiles, quæ interim à sensibilibus subjectis, per cognitionem siue abstractionem mentis, à Mathematico, putà à Geometra, separantur, & sic abstractæ considerentur. 2. Pars est de ideis Platonicis 3. De numeris, quos non subsistere, nec alias à Mathematicis esse, (qui omnes ex unitatibus in rebus inuentis constant,) nec esse rerum sensibilium principia concludit contra Pythagoreos. Atque adeo res sensibiles constare solis sensibilibus, id est, iis quæ reuera naturam sensibilium componunt, ut sunt materia, quæ potentia est; & forma, quæ actus.

*Ad Caput primum.*

**S**ignificat scopum huius operis esse, substantiam aliquam immutabilem æternamque præter sensibiles, inuenire. Deinde proponendas veterum sententias, ut si quid rectè dixerint, approbetur; si male, rejiciatur. Ex quo loco appetit haec tenus Aristotelem de substantia illa æterna non egisse, atque adeo librum qui vulgo 12. est, in quo de illa substantia differit, non esse ordine priorum isto & sequenti, sed omniū postremum: ita tamen ut cum hoc iungi debeat is qui

*Locus ordi-  
nem libro-  
rum pro-  
bans.*

e ij

Ordo qua-  
tuor sequen-  
tiuum libro-  
rum rispi-  
ctus.

habitus est vndeclimus : cùm hic ab illo se-jungi non possit , vt doctrinæ progressus ostendit. 3. Duas esse opinones , vnam eorum qui entia Mathematica , numeros scilicet & lineas , esse substantias voluerunt , ab iis quæ sensibiles sunt , distinctas & separatas ; alteram eorum qui ideas adstruxeré , quas rerum etiam principia esse affirmarunt.

### Ad Caput secundum.

*Non esse entia Mathematica in sensibiliibus.*

*Nec ab iis separata.*

**S**TATUIT PRIMÒ NECESSUM ESSE , QUÒD SI SINT ENTIA Mathematica , vt reuera sunt , ea vel in sensibiliibus esse , vt quidam dixérē , vel ab iis esse separata. SECUNDÒ , probat non esse in sensibiliibus , tanquam aliud quid à natura & conditione sensibilium differens : vt iam lib. 3. expositum fuit. SEQUERETUR enim duo solida esse simul , vnum scilicet Physicum & sensibile , alterum Mathematicum , si videlicet Mathematica entia sint in sensibiliibus tanquam quid aliud ab his existentia. TERTIÒ , probat eadem entia non esse à sensibiliibus separata. Si enim v. g. solida separata sint à sensibilibus , necesse est etiam ea quæ solidis priora sunt , à sensibilibus separantur , vt superficies à sensibilibus superficiebus , & consequenter lineæ & puncta , cùm sit omnium ratio eadem : quòd si ita est , ergo præter solidam Mathematica , erunt alia superficies , lineæ , puncta , à solido separata , quia hæc simplicia sunt & priora compositis. Vnde vt solida non sensilia sunt sensibilius priora , sic superficies non sensiles , quæ compónerent solidam non sensibilia , erunt priores ipsis solidis , & similiiter lineæ & puncta. Et rursus præter superficiem non sensilem componentem solidum Mathematicum , erit alia linea eam compónens , & ipsa prior. Idem de punto dici potest comparatione lineæ : atqui inde *ā rūmē ī rētu ī oīpūcīs , īnepta fit coaceruatio.* Eadem verò est de numeris ratio , quorum infinita genera fierent. Non sunt ergo entia Mathematica à sensibilius separata : præsertim cùm si separata essent , oportet ea priora esse sensibilius , quod absurdum est. Corpora enim sensibilia priora sunt secundum essentiam substantiāque , omni ente Mathematico.

### Ad Caput tertium.

*Abstractione Mathematica.*

**S**TATUIT PRIMÒ ENTIA Mathematica , cùm separata non sint à sensibilius , nec in iis sint vt ab iis diuersa ; non esse simpliciter , id est , non esse substantias ; sed modo quodam , id est , reuera esse , in sensibilius ; nec diuersam naturam , aut existentiam ab illis sortiri , verùm considerari à Mathematicis sine sensibilius ; quæ est abstractione Mathematica , per quam scilicet definitiones & demonstratio-nes reuera traduntur de magnitudinibus sensibilius , non tamen vt sensibiles sunt , sed vt

A simpliciter magnitudines : Quia in abstractio-ne mendacium non est. 2. Esse abstractio-nem non tantùm in Arithmeticā , & Geome-tria ; sed etiam in Astrologia , Musica , Optica , Physica , Medicina , & quavis sciētia. Nec immeritò. Cùm enim abstractio sit , dum ali-quid per se ac seorsim ab alio , cui nempe *Quid ab stratio.* actu adjunctum est , consideratur , hac autem ratione vnumquodque clariùs , certius , di-stinctiusque cognoscatur ; mirum non est , quòd Scientiæ abstractiones consequentur. 3. Mathematicas esse etiam de bono & pulchro , quod perperam negauit Aristippus c. 2. l. 3. Metaphys. Agunt enim de ordine , & sym-metria , quæ ad pulchritudinem spectant. Sed de ratione pulchri dicemus apertiùs in aliis , inquit Aristoteles , id est , c. 7. libri , qui fuit ha-tenus 12. nostro autem ordine est 14. ex quo clarè constat hunc librum quem vndeclimum facimus , debere esse priorem illo qui 12. falsò habitus est.

### Ad Caput quartum.

**R**EPUTAT IDEAS , REPETITQUE EA QUÆ DE IIS DI-XERAT C. 6. l. 1. Metaphys. & alibi passim. Sed in repetitionibus non est immorandum.

### Ad Caput quintum.

**C**ONTINUATUR *τυπλογία* , siue repetitio eo-crum quæ iam antè dicta fuere de ideis. Eas scilicet nihil conferre ad rerum sensibiliū tam æternarum , vt sunt cœli , quām corruptibile , essentiam , neque etiam ad motum , nec ad scientiam. Cùm per ideas non sint , nec fiant , nec constituantur , atque ideo non cognoscantur res vllæ sensibiles. Itaque esse tollendas.

### Ad Caput sextum & septimum.

**H**Oc cap. 6. & reliquis , imò & libro se-quenti , agit de numeris , seu potius de ideis numerorum , cùm de ideis vniuersim c. 4. & 5. dixerit. Doctrinæ summa est , numeros non esse substātias separatas , siue ideas : quod exequitur ferè toto hoc reliquo libro : item non esse entium primas causas : quod toto ferè libro sequenti demonstrat. Sed de nu-meris iam dixerat c. 7. l. 1. Metaphys. Positis ergo pluribus vnitatum & numerorum modis , & quòd vnitates vel sint specie differen-tes & inter se incomparabiles , vel eadem , & comparabiles , vt in numero Mathematico ; vel vtrumque ; vt in partibus numeri com-positi : item quòd numerus sit aliorum opi-nione separatus ; aliorum non ; aliorum idea-lis ; aliorum Mathematicus. Statuit 7. cap. vnitates omnes esse combinabiles siue com-parabiles ; alioquin nullū esse numerum. Cùm numerus omnis , qui solus Mathematicus est , fiat additione vnitatum .

*Alius locus ordinem li-brorum à nobis resti-tutum , pre-bans.*

## Ad Caput octauum.

**D**icit absurdum sequi, si constituantur numeri habentes unitates in seipsis singulis indifferentes; differentes autem respectu unius numeri ad alium. Hinc enim fieri easdem unitates esse differentes & indifferentes. Etenim in numero denario, qui decem constat unitatibus, & duobus quinariis, erunt unitates ideo differentes, quod pertineant ad duos quinarios, qui sunt duo numeri distincti: eadem vero unitates decem, erunt eadem siue non differentes, quia pertinebunt ad eundem numerum, scilicet denarium, qui unus est numerus.

## Ad Caput nonum.

**D**icit unitates non differre a numeris, (nisi forte ut partes a toto,) different enim quantitate vel qualitate. Sed neutrum dici iure potest: quia unitates quantitatem non habent; sunt enim indivisibiles; nec qualitatem, quia qualitas affectioque omnis unitate posterior est. Numerum vero posse ab alio differre, quantitate, ex eo patet, quod sit diuisibilis in unitates. Quod si unitates inter se comparentur, ex etiam nec quantitate, nec qualitate differre poterunt.

## Ad Caput decimum.

**R**efutat eorum opinionem qui ideas quidem tollebant omnes, sedentia Mathematica numerosque prima entia faciebant, & principium numerorum statuebant esse ipsum unum, ut substantiam quandam, aut separatam a sensibilibus, aut secundum aliā naturam in ipsis existentem. Quod enim non possit esse unum numerorum principium, patet; quia non est potior ratio, cur unum sit principium unorum, quam dualitas principium omnium dualitatum; trinitas, trinitatum: atque voluntilli, unum esse principium unorum: ergo coguntur fateri, dualitatem esse principium dualitatum; trinitatem, trinitatum. Probatur maior. Cur enim, si una est eaque prima unitas, non erit una prima dualitas, una prima trinitas?

## Ad Caput undecimum.

**P**roponit dubitationes: An unitates quae se consequuntur in numeris, ut eae quae sunt in dualitate, vel trinitate, sint consequentes ad primam unitatem, necne? An dualitas sit prior unitatibus, quae sunt consequentes, & utraque unitatum prior, nempe & ea quae sit prima consequens, & altera quae hanc sequitur? An constant magnitudines e magno & parvo, ut lineæ ex longo & brevi, superficie

ciecè lato & angusto; corpora ex alto & humili? Nam longum & breve, latum & angustum, altum & humile species magni & parui habentur. Observandum hoc loco prædictas magnitudines dici numeros posterioris generis; quia ex numeris prioris generis, qui scilicet constant unitatibus, constitutæ credebantur a multis. An magnitudo sit materia, an è puncto? An unitas una? an numerus finitus, an infinitus? sed hic videtur Aristoteles eos refellere, qui è numeris magnitudines componebant, & quæstiones illas in refellendi finem proponere. Quanquam non soluit primas quæstiones, immo nec eas exagitat. Concludit, fieri non posse ut numeri & magnitudines a rebus separentur. Et autores de numeris diuersa & pugnantia sensisse, falsasque hypotheses assumpsisse, unde mirum non sit eos aberrasse. Cùm difficile sit <sup>Proponit  
quæstiones;  
nec soluit.</sup> ēs que non recte se habent, recte differere. Ut dixit Epicharmus poëta, οὐδεποτέ ἐν μη κανός ἔχεται, καλῶς λέγει.

## Ad Caput duodecimum.

**R**etexit controversiam de ideis, quas excusserat c. 6. l. 1. & c. 6. l. 4. Metaphys. & nouissimè cap. 4. huius lib. has vero esse tollendas probat; quia eas simul universales & singulares faciebant, qui ipsas inducebant. Admonet tamen, magnam de ideis (de quibus se suprà egisse ait, id est, l. 3. & 7. & alibi, ut obiter intelligas hunc librum esse Aristotelis) quæstionem esse in utramque partem, siue eæ nullæ sint, siue aliquæ. Nam si non sint substantiae separatae eo modo quo sunt entia singulare; tolletur ea substantia, de qua, inquit, dicere volumus, id est, prima, æterna, immobilis, ab omni materia sensibili separata, (ex hoc loco conuincitur

**D**hunc librum antecedere eum qui vulgato ordine habetur 12. nam in hoc 12. qui verè est 14. de substantia illa separata agit Aristoteles, de qua hic statuit se dictum. Si vero sint, vel earum elementa siue principia erunt singulare, & sic tot erunt tantum entia, quot elementa; quod falsum. Item principia non erunt scibilia, omnisque scientia tolletur; quæ duntaxat est universalium. Vel illa eadem principia erunt universalia; & sic non substantiae erunt priores substantiis, immo & harum principia. Universalia enim non esse substantias dictum est lib. 7. cap. 16. certumque est solas singulares substantias verè ac propriè esse substantias. Dicendum primò nihil prohibere, quin sint infinita similia; & tamen nihil esse præter singulare: quia in ipsis sunt elementa, non ut separata, sed ut sunt in quoquis individuo, variis modis. Unde non sequitur tot tantum esse entia, quot principia siue elementa. Sunt enim 4. elementa tantum, ignis, aer, aqua, terra;

*Ordinis lib-  
rorum re-  
stitutio no-  
stra ex hoc  
ad huc loco  
probatur.*

*E mendatio contextus.* mixta autem plurima: quia elementa variis modis existunt in quois mixto: sunt tamen eadem inter se elementa, ut conueniunt in natura & specie elementi. Dicendum secundò scientiam spectari in potentia, vel in actu, ut sentire: (Putamus enim in textu, loco *omnium*, quod est scire, reponendum esse *videre*, quod est sentire: Nihil enim docetur ex distinctione scientiae & scire, sed ex comparatione sensus cum scientia, res declaratur, ut docet progressus & ratio contextus, in quo sit mentio visus, diciturque, visum per accidens vniuersalem colorem videre, nempe quia hic color quem actu videt, color est:) & scientiam quidem in potentia, quæ sicut est veluti materia & quid indefinitum respectu vniuersalis, ipsum autem vniuersale veluti forma, objectumve illius, esse de ipso vniuersali & indefinito per se; Scientiam verò in actu, siue actionem scientiae hanc vel illam, & quæ determinata est, esse de re singulari & definita per se, licet de vniuersali sit peraccidens, quatenus scilicet res singularis sub vniuersali continetur. Sic ergo non erit necessarium esse Ideas, substantiasve separatas; & scientia modo quodam erit vniuersalis, modo quodam non erit.

*Scientia in potentia.*

*Scientia in actu.*

---

Liber duodecimus Metaphysicorum, qui ha-  
ctenus falso creditus fuit decimus-  
quartus.

*Ratio ordinis.*

*Tres opinio-  
nes de nu-  
meris, ut  
principiis  
rerum.*

D Octrinæ series, & Aristotelis institutum libri huius connexionem cum superiore satis arguunt, cùmque debere esse duodecimum manifestè probant. Decreuerat enim libro superiore Aristoteles se eorum sententias velle persequi, qui substantias alias à sensibilibus constituebant, tanquam immobiles, & rerum principia esse dicebant. Has verò hoc libro examinat & refellit. Erant autem tres sententiæ de numerorum constitutione differentes. 1. Platonis, numerum Mathematicum à sensibilibus separatum, itemque idealem, ad idearum constitutionem pertinentem, adstruentis. 2. Aliorum, qui solum Mathematicum statuebant à sensibilibus separatum. 3. Pythagoreorum, qui numerum in rebus sensibilibus admittebant, sed diuersæ à sensibilibus naturæ. Hi enim philosophi omnes numerum faciebant rerum principium, licet alij aliter. Sed hos refutat Aristoteles, adductis maximè quatuor incommodis. 1. Quod constituerent omne principium, elementum. 2. Quod in immobilibus statuerent principia contraria. 3. Quod facerent vnum omnium principium, ut substantiam per se subsistente. 4. Quod eorum quidam constituerent numeros primas substantias & separabiles: similiter & Ideas. Ex tota autem disputatione

*Numerus non est quid per se subsistens, & à rebus verè separatum; sed rebus immersum. Posse tamen ab anima seu mente nostra constitui, & distingui, quæ circa res ipsas numerum statuit, ut tempus circa motum. Sunt igitur huius libri sex capita, quibus iam actum agitur, & quod discussum fuerat, iterum sub incudem disputationis reuocatur; ideas nempe, maximè numerales, quæ ad numeros spectant, non esse rerum causas & principia. Hoc enim superiore libro fuerat iam disputationatum.*

### Ad Caput primum.

P Rimo hoc capite veteres redarguit, quod cùm de substantia illa quæ ad ideas, numeros, & entia Mathematica pertinet, differenter; principia ut in naturalibus, sic in immobilibus substantiis, contraria constituerent. Hoc enim falsum esse sic demonstrat: Nullum contrarium potest esse omnium principiū absolute, primò ac simpliciter dictum, & quale hic queritur: atqui illa immobilis & Mathematica substantia est quid contrarium, ut volunt eius assertores, vel quamdam habet contrarietatem. Vni enim contrariatur multitudo, ut dicebant Pythagorei; *Substantia aequali, quod est vnum, inaequale, ut dixit Plato: Ergo illa immobilis & Mathematica substantia siue idea sit, siue non, principium rerum omnium esse non poterit. Maior propositio facile probatur. Omne enim contrarium supponit aliquid se prius, putà subiectum siue materiam: hinc contraria semper de subiecto dicuntur, nullumque eorum à subiecto potest separari: at principium omnium primum, nihil se prius agnoscit. Præterea substantia nihil est contrarium: ergo nullum contrarium potest esse principium, si principium substantia est, ut volunt. Docet postea alios aliter explicare contraria, Platonem quidem, materiam contrariorum alterum facere; alios vni opponere inaequale; itavt per vnum intelligent æquale; per inaequale, multitudinem. Alios simpliciter vni multa; alios magnum & paruum pro materia statuere, & vnum pro forma; alios multum & paucum; alios excendens & quod exceditur. Tum repetitur quod de vno passim dictum est, & l. 10. vnum significare mensuram; mensuram verò eamdem esse in omnibus & eiusdem generis.*

### Ad caput secundum.

S Tatuit æterna non posse ex elemētis constare, cùm elementa materiam habeant; æterna non habeant; eam scilicet quæ ad esse & non esse fertur; siue secundum quam contingit res ipsas non esse. Vnde colligit ideales numeros quos veteres illi principia faciebant, non esse elementa, aut non constare elemen-

*Numerus non est quid per se subsistens.*

*Substantia non potest esse principium omnium.*

*Eterna non constare elementa.*